



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Metropolis Salisbvr gensis

Continens Primordia Christianæ Religionis Per Boiariam Et Loca quædam vicina; Catalogum videlicet & ordinariam successionem Archiepiscoporum Salisburgensium, & Coëpiscoporum, Frisingensium, Ratisponensium, Patauiensium, ac Brixinensium

Hund, Wiguleus

Monachii, 1620

Additiones. Episcopi Lavreacen. Et Patavien.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13553

ADDITIONES.

EPISCOPI LAVREACEN. ET PATAVIEN.



LAVREACVM *al. Lauriacum Notit. Vtr. Impr. in Pannonia prima & Norico Ripen. collocat: eiusq. mentionem facit Itinerarium M. Antonini Imp. Petr. Ranzonus. grauis & diligens scriptor, Epitom. Vngar. Indic. II. f. II. b. de eo sic: Anafum Archiepiscopali sede insignis ciuitas, quod Laureacum olim appellatum. Pancycl. Commentar. ad Notit. f. 138. col. 4. Lauriacum est in Pannonia, ad ostia Anafi fluminis, cuius & Itinerarium meminit. ibidem Constantinus aliquot condidit iura. Idem f. 132. col. 2. Lauriacum oppidum in Illyrico collocat. Marc. Velferus III. Boicar. pag. 172. Laureacum, quæ proximè Ensam Lorchæ est, (M. Aurelij Antonini Imp. opus) magnæ quondam vrbs tenue nunc vestigium, nisi verius Aureliano tribuimus. Appianus in Chorograph. Enum. oppidum, quod maiores nostri Laureacum, olim Aureliacum dicebant: & monumentum adfert ibidem existens.*

AEL. GANNA
LON OBIT AN. LXX.
ET AEL. SECVND.
CON. O. AN. XL. AEL. C
DIDVS.

Cluuer. vsq. ad risum argutus est in orthographiâ huius vocis. V. 23. 35. Est (inquit) LAVRIACVM exiguus hodie vicus, sub mœnib. opidi Ens, ad confluentem amnis eiusdem nominis, vulgò dictus *Lorch*. Veteri inscriptioni est Colonia Aureliana Laureacensis. vnde quidam opidum id nominis quondam ab Laureatis, quas vocant, literis accepisse nugati sunt, quorum ineptias cum merito M. Velferus in Boicarum III. rideat; miror eum tamen magis probasse vnâ antiquam statuarij inscriptionem, quàm tot Antonini & Notitiæ exemplaria, Celtas per Galliam, Italiam, Vindeliciam, & Noricum multa opidorum vicorûq. vocabula terminasse in ich & ach, siue ic & ac; quæ Romani suo ore formarunt in acum, icum & iacum; iam pridem in Germaniarum descriptione docui. E Gallia ne longius eiusmodi nomina petam; in Vindeliciâ suprâ enumeravi ista: Abudiacum, Septimiacum, Iciniacum, quibus adde è Notitiâ Cassiliacum. In Norico fuere Laciacum, Iouiacum, Grauiacum, & Stanacum. Ad eundem igitur modum, & Lauriacum formatum fuisse, quis iam dubitet? quod postea ab imperito aliquo in inscriptione factum LAVREACVM. Atq. si ipsi olim Noricis haud dubiè dicebatur Laurich & Lorch: quod tandem contractum in Lorch; vt hodie vsurpatur &c. Tanti acuminis fuit Velferus tantæq. diligentia, vt nihil cogitauerit pronunciarit, scripserit absq. ratione & iudicio, nec verò Cluuerius hætenus etymologiam huius nominis effatus est; quæ si à Laureâ descendat, vt non improbabilis est quorundam sententia, Laureacum dicendum scribendum esse quis dubitabit? non addo plura.

S. Florianum martyrio quidem Laureaci coronatum docet I. SS. Bauaria Tomo. pag. 18 R. P. Raderus, qui verò Catalogo Episcoporum illius Ecclesiæ inserunt sine teste id ficere mihi omninò videntur & vide hac de re M. S. Chronicon Episcoporum Patavien. breui. si Deus vitam concesserit per nos edendum. De S. Floriani Monasterio vide infra sub Episcopo Richario pag. 120.

IERARDVS &c. Naetus à felic. memoria R. do ad. integerrimòq. Viro, Domino Georgio Lautherio SS. Theolog. Doct. Collegiatæ Ecclesiæ ad D. Virginem Monachij Preposito dignissimo: Cathedralis Ecclesiæ Patavienfis Canonico, Severissimorum Bava-

Bavaria Ducum Alberti V. Guilielmi V. & Maximiliani Consiliario, Domino & benefactore nulli unquam obliuioni tradendo, Chronicon Episcoporum Laureacensium & Pataviensium, ex M.S. Codice dictæ Ecclesie Pataviens. descriptum, utile visum fuit; & necessarium illud ad calcem Catalogi huius Hundiani adicere: quò lectorem deinceps remittemus. Id Chronicon Ierardi sive Gerardi præcessoris Eusbarij mentionem quoque facit.

Quatuor SS. Quirinos Christi martyres R. Philippus Ferrarius Alexandrinus, in Catalogo SS. Italia commemorat. I. Romanum, qui Claudio Imper. propter Christianam fidem comprehensus, bonis publicatis, multaque verbera, ut propositum mutaret, perpeffus, in custodia trans Tyberim diu detentus est. Cum autem Marius Persa cum vxore & filiis Romam venisset, ut martyrum sepulchra venerarentur: Quirinum visitantes suis facultatibus alebant, orantes, ut pro ipsis apud Deum intercederet. Qui paulò post Imper. iussu noctu gladio cæsus, in Tyberim proiicitur. Cuius corpus (cum Marius & filii ad carcerem reuersi, illum interfectum, & in flumen proiectum acceperunt) à prædictis, & à Pastore Presbytero in Insula Lycaonia inuentum, in crypta cæmiterij Pontiani 8. Kal. Aprilis conditum fuit.

d.
XXV.
Mart.
Verba sunt
auctoris.

De secundo, Ferrarius sic refert: QUIRINVS Tribunus, cum S. Hermetem vrbs Præfectum in custodia detineret, ac S. Alexandrum Papam in alio carcere detentum diuinitus vinculis solutum in eundem Hermetis carcerem ingressum, cum eo loquentem, (licet omnem adhibuisset diligentiam circa fores, & vincula, quæ triplicauerat) vidisset, eo miraculo, quod tamen principio magiæ tribuebat, & sequenti, quod Balbina eius filia à S. Alexandro à struma circa collum oborsa vinculorum ipsius Pontificis tactu liberata fuisset, commotus ad Christum conuersus est, & omnes quos in vinculis habebat Christianos effectos liberos dimisit. Quod ubi Aurelianus Comes resciuisset, Quirinum ad se accitum grauitè obiurgat, qui se Christianum libera voce professus ait, Si vis occidere, si fustibus cædere, si ignibus concremare, fac quod liber: omnes enim ad mortem pro Christo subeundam, non secus ac famelici ad escam parati sumus. Quibus verbis Aurelianus incensus in equuleo suspensum Quirinum torqueri iubet, linguamque præcidi, & cum ille nec his tormentis cederet, manibus pedibusque amputatis, capite, iubente Iudice, plectitur, & corpus canibus proiicitur: quod Christiani raptum via Appia in cæmiterio Prætextati condidere, 3. Kal. Aprilis. Addit. Corpus S. Quirini Nuesium apud Coloniam Agrippinam translatum, ibi summa celebritate Prid. Kal. Maij teste Io. Molano colitur.

II.
XXX.
Mart.

Tertium Ferrarius sic describit: S. Quirinus martyr Tybure colitur, à S. Quirino Episcopo Siscitano & martyre diuersus, ut Baronius in Annotationibus in Martyrologium hæc die monet. Corpus Tybure in Ecclesia S. Saluatoris asseruari fertur, &c.

III.
IV. Iun.

De quarto deniq; isthæc habet: Cyrinus & Quingefius Episcopi hæc ipsa die (V. Decembr.) ab Ecclesia Salernitana coluntur: quorum corpora Faiani pago agri Salernitani haud procul ab vrbe iacentia Bernhardus I. eius nominis Episcopus Salerni anno Sal. 909. sub. Gisulpho Principe magna Cleri & populi frequentia, in urbem transtulit, ac in sacra æde, quam is in illorum honorem construxerat, decenter condidit. Quæ demum à Casario Archiepiscopo anno Domini 1226. in Basilicam Cathedralem tumultata sunt. Agitur illorum dies festus Nonis Decembris &c.

Pag. 755f

Quatuor his Quirinis Italicis sanctis, rectè addit R. P. Raderus quintum, Illyricum vel Noricum de quo hic agitur, Philippi Imperatoris opinione multorum filium, primam Aquilegiensem Patriarcham, deinde Laureacen. metropolitanum, quod tribunal sanctus

Etus

ctus martyr Maximilianus illi cessit : Ferrario quoque haud incognitum ; qui eum Episcopum Siscitanum , non rectè vocat , sicut mox dicitur , diuersum ab eo quem Tegernseense Monasterium possidet , secundum nempe in ordine supra obseruato , Quirinum Tribunum . Qui verò quintum nostrum Episcopum faciunt Siscitanum , sicut facit Ferrarius ; & qui eum Saxo ingenti de collo appenso in Sabaria (quem Gunstum nominant) fluuiiomersum aiunt , utriusque errant : nullus enim Siscia Episcopatus neque Episcopus extitit . Docent hoc Notit. Episcopatum orbis Christiani tam veteres , quam recentiores . Sic Aubert. Miraus. Notitit. 1. c. 3. Illyrici (ait occidentalis nimirum , de eo enim agere hoc loco Miraus , ex sequentibus planum est) septem sunt Prouinciæ in Sixti Rufi Breuiario (quod Valenti Imperatori auctor dicitur) & Indice Sconhouiano ; Dalmatia , Pannonia prima , Noricum mediterraneum , Noricum Ripense ad Danubium fl. Pannonia secunda , Sauiua , & Pannonia tertia , seu Valeria , à Diocletiano instituta filiaque nomine insignita . Dalmatiæ metropolis fuit AQUILEIA ; Pannoniæ primæ SIRMIVM ; Pannoniæ secundæ SABARIA . S. Martini Episcopi Turonensis patria ; Norici mediterranei IUVAVIA ; Norici Ripensis LAVRIACVM , ni fallor &c. Idem lib. II. quæ est Notit. seu Codex Prouincialis vetus , p. 76. Salisburgen. Archiepiscopo . seu Metropolitano , Pataviensem , (in quam urbem Laureacen. sedes per Odilonem Boiorum Ducem , quemadmodum suo dicitur loco , translata fuerat) Episcopum accenset : nullam usquam Siscianæ Episcopatus mentionem habita . Et libr. IV. qui est Codex Prouincialis nouus , in quo Metropolitanae & Episcopales sedes , iuxta præsentem Ecclesiæ ac Regnorum in orbe Christiano statum , recensentur ; nulla fit Siscia prorsus mentio : nec denique libro V. p. 352. quo loco ex Lazio enumerantur in Norico mediterraneo Episcopatus LAVREACENSI olim Pannoniæ & Norici Metropolitanae sedi subiecti : quorum ibi nomina panduntur . TIBERTINENSIS , QUINTAVIENSIS , PATAVIENSIS , in Vindeliciis ; OVILABENSIS in Norico Ripensi , IUVAVIENSIS , SOLIENSIS , CELEIANVS , PETOVIENSIS , & TAVRISANVS , in Norico mediterraneo . De SISCIA , Plinio Pto. lomaço , aliisque nota , præmemoratus auctor , libr. V. pag. 399. commemorat eam Apostolum habuisse S. Quirinum Episcopum Laureacensem & martyrem , à Prudentio versibus celebratum . Apostolum , ait , & martyrem ; non Episcopum , quod contra Ferrarium & qui illum sequuntur , notari velim .

Siscia submersum aquis S. Quirinum nostrum , martyris palmam consecutum fuisse , tam disertè docet Prudentius , ut nemo prudens de veritate rei gesta dubitare habeat .

Insignem meritis virum
 Quirinum placitum DEO
 Urbis mœnia Siscia
 Concessum sibi Martyrem
 Complexu patrio fouent. & qui sequuntur.

Quid dici poterat elarius ?

Philippum Imp. Christianum fuisse , quod nonnulli in dubium vocant , docet Vincentius Lerinen. in suo aduersus prophanas hereses nouitates libello verè aureo , cap. 22. his verbis : Sed & eiusdem (Origenis) Epistolæ testimonium perhibent , quas ad Philippum Imp. qui primus Romanorum Principum Christianus fuit , Christiani magisterij auctoritate conscripsit . Vixit autem Vincentius sub Honorio Imp. CL. plus minus aunis post neci datum Philippum : cuius antiquiss. scriptoris assertioni , plurimorum nouiorum commentis standum merito iure censeo ,

Certiora

Certiora heis docent Marc. Velsler. P. Rader. & qua supra attigimus.

In vita S. Severini ab Eugippio conscripta, quinque omnino locis Laureaci fit mentio; capite nimirum 18. 27. 28. 30. & 31. in nullo autem horum capitum id legitur, quod hic de S. Quirino refertur. Taceo ibi res enarrari gestas commorante in Norico S. Severino; qui eo appulit demum post defunctum Atilam. Hoc est post annum Christi 454. annis nimirum plus minus 142. S. Quirino martyrium passio. Sancti quidem Constantij Antistitis Laureacen. fumentio cap. 30. at de S. Quirino altum silentium.

Minus ceteris à vero aberrant, qui S. Quirini passionem ad annum Christi 312. & rejiciunt; nec abhorrent Caesarum fisci.

Celeiam. Norici oppidum Ptolomæus, Plinius, aliique commemorant. Quamvis h. Pannonia Celeiam accenseri Velserus adnotarit. B. Maximilianum Anno 268. Eccle. Veli. B. 3. 175. sia Laureacensi præfectum fuisse scribit hic D. Hundius. R. P. Raderus de hoc nostro S. Maximiliano sic refert: Celeia Pannoniæ oppido claris natalibus & fortuna copiosus natus ad vniuersum cultum numinis, morumque honestatem, & virtutis omnem elegantiam in ipsa pueritia ab Oranio presbytero eruditus, maximè in miferos benignus fuit, ut amplas etiam à parentibus acceptas opes in egentium vsum liberaliter partiretur, Laureaci Pontifex postea creatus. In proscriptione Christianorum Deciana iam utroque parente priuatus, seruitia manu miserat, opes pleraque reliquas omnes in pauperes sparsas profugus Romam ad Xystum II. Pont. Max. venit, à quo pro laborante in Pannoniis Ecclesia iure sollicito, inductus est, ut patriam repeteret, remque Christianam crudelibus tyrannorum edictis & præsidum intemperate pressam dissipatamque; velut ex naufragio colligeret. Non recusauit Maximilianus, nec laborem pro patria, nec discrimen capitis pro Christo. Accessit & S. Quirinitum Aquileia Antistitis auctoritas, qua impulsus, & sancta Rom. Pontificis, hoc est, orbis totius patris appreciatione confirmatus, Laureacum cuius possessionem tribunalis, Martyr postea Quirino cessit, caput Norici riparij petiit, legem Christianam pro concione promulgauit, Cum Laureacensem pontificatum ipsis prope viginti annis magna cura administrasset, redeundum sibi Celeiam ad patriam solum putauit, ut & ibi si conficere posset, Christi nomen propagaret. Eulafius præses publicis edictionibus omnes Marti operari iussit, & fuere (ut semper in tritico filix, inter apes fuci) qui metu suppliciorum degeneres Christi milites Marti adolerent, quod Maximilianus, non secus ac Machabæus olim indignissimè passus, in medium forum non dubitauit prosilire, præfectumque impietatis accusare, quod cultum vni sempiternoque debitum numini, rebus conditis & infimis transcriberet. Eulafius sibi ab inferiore & Christiano præscribi non passus, & omnia post aliquot differtiunculas, verborum contentione, quæ se victum sentiebat, à verbis ad vim & gladium appellauit, sanctumque hierarcham cædi iussit: nec alter mortem recusauit, quæ se ad vitam peruenturum sciebat. Occubuit IV. Idus Octobr. extra pomerium. Sacrum corporis pignus à D. postea Ruperto Laureacum translatum, magnificis & illustribus templorum operibus eius nomine conditis celebratur: Henricus sanctus, quem secundum appellamus, Laureaco Bataua Boiorum deportauit, ubi hodieque summa cum religione custoditur.

Catalogus Patavien. M. S. de quo supra, habet. S. Maximilianum anno ætatis. 13. patre fuisse orbatum; & sexto anno post; imperante iam Decio, & in Christianos saeuente (quo tempore annum agebat circiter decimum nonum, aut vicesimum) ad Laureacensem Ecclesiam vocatum: quam rexisse constanter asseritur annis XX. passus martyrium sub Numeriano. Idem Catalogus commemorat. ad sedem Laureacensem reuocatum Ann. 285. quod consistere non potest; si enim annos Numeriani computemus, cepit is

Anno 284. desit proximè sequenti. 285 Res hac propter vetustatem temporum, persecutio-
num, ac bellorum calamitates, aliasque circumstantias quam plurimas valde difficilis est
& intricata; sed ut paucis me expediam, planissima videtur D. Velferi, & hunc secuti,
R. P. Raderi sententia, & expeditissima, quibus ego quoque subscribo, & hac sententia
ab annis Caesarum, & fastis non dissentit, quemadmodum probare facile est.

Eugipp. in vita S. Seuerini cap. 22. hæc sunt verba: Basilicæ extra muros oppi-
di Batauni, in loco nomine Boitro trans Enum fluuium constitutæ, vbi cel-
lulam paucis monachis ipse construxerat. &c. & cap. 36. In loco Boitro supe-
rius memorato &c. Locum hunc non in Vindelicia, sed in Norico, ut rectè Scholia-
stes monet, situm, representat Appianus in sua Boiaria Chorographia.

Obiit S. Seuerinus anno 481. aut 482. (iuxta Scholiastem Eugippij in Elencho
Chronico) VI. Id. Ian. in Monasterio propè Fauianensium muros: & corrigendus est
error qui hoc loco irrepit & reponendus alter horum annorum, pro 494. quem Hundius
habet. Vitam S. Seuerini exactè conscripsit Eugippius ex quo haurire historiam illam
tutissimum erit. Auentinus namque, Lazius & alij non pauca immutauerunt, ad-
dentes quæ Eugippius non scripsit, aliàs etiam Eugippij ordinem interuertentes, quod
putarent sibi licere pro captu & libitu omnem historiam demutare atque retexere: de quo
consule Scholiastem ad cap. 11. 16. 19. 24. 27. &c.

k. Noua denuo emergunt difficultates, & trica propemodum inextricabiles. S. Seue-
rinum, post Attila mortem in Noricum venisse, ex supradictis constat; clapsò iam anno
454. aut forte, vno alteroue precedente, non enim satis circa hoc auctoribus inter se con-
uenit. Constantius scribitur gubernasse Episcopatum Laureacensem Anno Christi 427.
imperante Theodosio iuniore: quod planè non consistit. Oporteret namque Constantium
S. Seuerini discipulum Episcopatum præfectum fuisse priùs quàm ille veniret in Nori-
cum: & euocatum ex eiusdem S. Seuerini cella, sub Cacio monte condita, ea ipsa non-
dum adificata. Sed nec ipsius Constantij sæpius quàm semel tantum in vita S. nostris
mentio, cap. 30. his solummodo verbis: Hæc per triduum contestatus S. Seueri-
nus, aduersascente iam die, Valentem nomine monachum mittens ad san-
ctum Constantium eiusdem loci Pontificem, & ad cæteros commanentes &c.
Vnde igitur sciri potest, Constantium hunc ex cella S. Seuerini ad Pontificatus fastigium
euocatum fuisse? quod additur: imperante Theodosio iuniore &c. Et hoc quoque du-
bitatione non caret, siue enim R. P. Raderi Indicem Chronologicum sectemur, siue Ha-
loandri annorum digestionem, conuenit quidem Annus iste tam cum Theodosio iuniore,
quàm cum Celestino Pontifice eius nominis IV. sed rursus aqua hæret; nam ut supra in-
dicatum, S. Seuerinus annis demum triginta plus minus post, in Pannonia Noricique
partes migravit. Persuasus his, quæ ex Eugippij cap. 30. paullo suprarecensui, pro Anno
427, Annum 472 rescribendum esse puto; saluo cuiusque meliora certioraque adferentis
iudicio.

Theodori huius meminit quoque Catalog. Patauen. Primum eum fuisse inter Pon-
tiff. Laureacenses, qui pallium à Pont. Rom. Symmacho adeptus sit, haud rectè asseritur.
Eo enim ipso quod Symmachus, (sicut optime Velferus,) Theodorum pallio secundum
Ecclesiæ luxæ morem vti commonefacit, ostendit, Laureacenses eius decoris
ornamento, quod mysticis significationibus vndiquaque venerabile maxima
semper existimatione habitum, non tunc primum fuisse affectos.

m. Quam melius rectiusq. Velferus? Incidit Theodorus (inquit 3. Boicar. p. 182.)
in Theodori aut Theodonum tempora: anno post Christum natum quingen-
tesimo vicesimo quarto fato functus. Quia Boiis necatum tradidere, quam
inani-

in manibus coniecturis indulserint, inde astimes, quod Vigilium Tridentinum adducere non sunt verecundati, quem vna cum Remedio aut Rhomedio quo Vigilus amicus est, annis totis centum priusquam Theodo de traiciendo Danubio cogitaret, vixisse comperio. &c. Nec minus recte Velferus Auentinum notat, qui scribit Boijs superato Danubio Romanam prouinciam Anno post Christum natum D VII. Theodoni ductu ingressis, postremam Augustam Tiberij, quamquam magnis viribus defensam, quod eam Romani bello arcem legerint, Boijs cessisse

Vels. p. 159.

De translata Laureacensi sede Pontificali Pataviam in sequentibus certiora proferruntur.

Vide infra sub hoc ipso Gerardo.

Hunc Othocarum Chronicon Episcoporum Laureacensium prorsus omittit

Magna hic deprehenditur annorum confusio, vnde cumque irrepserit. Erchenfridus obisse commemoratur Anno Christi 623. vel 624. Othocarus ab Honorio Pontifice Romae missus Anno 624. Philo praefuisse Laureacensi Ecclesiae narratur annis 45. nimirum ab anno 615. usque 659. quae simul consistere nequeunt. Quod autem ante Philonem et sub ipso sedisse fertur Patavie Episcopus Erkanfridus, Anno 624. defunctus, cuius successor fuerit Othocarus; secundum annales Patavien. hinc inferitur, eodem tempore alium fuisse Archiepiscopum Laureacensem, alium Episcopum Patavien. idque in primis mihi probatum dari velim. Ex vita S. Seuerini ab Eugippio conscripta, nusquam apparet vestigium ullum Episcopatus, aut Episcopi alicuius Patavien. qui tamen aliorum locorum Norici Antistites silentio haud inuoluit: nec praeteriturus fuerat. Patavienfes si qui per id aeuum fuissent, praesertim cum Patavij iam crebra incideret mentio, nempe cap. 19. ,, Patavi (inquit) appellatur oppidum, inter vtraque flumina, E-
nium videlicet atque Danubium constitutum, vbi B. Seuerinus cellulam pau-
cis solito more fundauerat, eo quod ipse illuc saepius rogatus a ciuibus ad-
ueniret, maxime propter Alamannorum incurfus assiduos, quorum Rex Gi-
buldus summam eum reuerentia diligebat. &c. Item cap. 20. cap. 22. quod me-
morandam narrat historiam, quomodo mox discedente S. Seuerino Chunimundus paucis
barbaris comitatus oppidum, et S. pradixerat Batauis inuasit, ac pene cunctis mansori-
bus in messe detentis, quadraginta viros oppidi. qui ad custodiam remanserant, intereme-
rit; qualiterque barbari insequentes presbyterum qui S. Seuerino plagam grauissimam
isti loco mox euenturam praedicenti sacrilege obloquitus fuerat, in baptisterio ibi nimirum
peccauerat, peremerint Insuper cap. 27. explicat Eugipp historiam capti a Thuringis
Bataui et quomodo Batauini contra interdictum S. Seuerini ibidem manentes alij qui-
dem trucidati, alij in captiuitatem abducti, penas dederint contemptus. Quae quidem
haud multum ultra annos quadraginta ante Theodoni I. aduentum in Bauariam con-
tulerunt.

Post subactam per Theodonem I. Boiariam, cum vniuersa Prouincia, tum rectores
illius, siue Duces THEODO nimirum ipse, et hoc satis sublato, filius VTILO; postea ex
fratre huius Theodone II. Vacaro nepos THEODIBALDVS: deinde GARIBALDVS,
alienus ut videtur ab Agilofinga familia, Theodelinde Langobardorum Reginae pa-
ter: postmodum THASSILO praedicti Theodibaldi filius, et ex hoc progenitus GA-
RIBALDVS; usque ad THEODONEM III. Idolorum cultui mancipati fuere. Quod
autem de S. Theodelinda patre Garibaldo, siue Rege siue Duce Boiorum scriptum re-
peritur, in medio relinquo; contentus leui digito attigisse ea, quae Illustris Dn. Vel-
ferus Boicar. III. magno iudicio de illo ipso Garibaldo ad posteritatis memoriam transmi-
sit.

Hoc pland constat Theodonem id nominis tertium, Theodoni I. ex familia Agilofin-
gorum inter Boiarios nobilissima (a qua alienum fuisse Garibaldum, paulo ante dixi-
mus)

*Vel. IV.
pag. 213.*

mus) in principatu Boico successorem, post totos annos ab aduentu I. Theodonis, in Boariam circiter CV III. à S. Ruperto Reginoburgi Christiana religione imbutum, sacroq; fonte ablutum, vnà cum tota prouincia Boica CHRISTO concessisse: quo etiam tempore S. Rupertus Episcopus, Principis hortatu secundo Danubio deuectus, multam præterea pietatis sementē fecit, Euangelio omnibus qui secus ripam colerent libero sermone annunciat. Laureaci pleriq; à vana Deorum superstitione ad nos traducti, &c. Hac & alia accuratè Velferus, Patauiam omninò non prateriturus, sit tum temporis ibidem Episcopalis sedes extitisset. Sed quid moror? Otilonem, al Vtilonem II. Bauarorum Ducem, Patauien. Ecclesia fundatorem Diplomata Regum & Imperatorum decantant, quæ infra suis locis præferemus Non tamen negauero, conuersis ad Christum Boaria Principibus, & crescente subinde fidei seruore, propagande religionis, diuiniq; cultus exaltandi studijs iam ab initio fuisse certatum; cuius rei perficiende varia cepta consilia. Quò inter cætera referri debet, quod legitur de Hugo-

*Vel. IV.
Boicar.
p. 233.*

berti Ducis, Theodonis III. inter Christianos Boiorum rectores primi filia PLVTRVDE nobilissima & sapientissima fœmina ab Aimoino appellata, sancta, gloriosa, & illustri à Marcellino, auctore coæuo; condidisse eam Brunonis Patauiensium Episcopi ætate, summam Stephani martyris ædem, quæ prima & indubitata Episcopatus Patauiensis primordia statuere haud ambigo.

q. Chronicon Episcoporum Laureacensium, & Patauiensiu toties hæcenus inculcatum, post Philonem, cuius regimini annos quadraginta quinq; tribuit, Ottacharium cõmemorat; deinde Brunonem, anno domini 660. sub Papa Vitali Ottachario subsequente, & quod annis sederit viginti nouem. Eundem verò designatum illum scribit Episcopus Ann. 638, & felicissimè rexisse annis 60. Eiusmodi prochronismi & metachronismi passim occurrentes, aliquid obscuritatis adferunt: attamen veritati rerum gestarum nihil derogant.

r. Ab Othlono in vita S. Bonifacij, Viualus, vel vt Sur. legit, Viuilus vir magnarum virtutum vocatur. De Diuisione Bauariæ, vide eundem Othlonum lib. 1. cap. 39, qui gubernante Bauariam Otilone Duce, & consentiente istam diuisionem factam fuisse scribit.

s. Diplomata vtriusq; Imperatoris reperies infra sub Episcopis.

*t. Imò à Gregorio III. teste Othlono lib. 1. cap. 31. & seq. Idemq; summus Pontifex, eum ordinauit, Othlon. cap. 39. & ipse Papa asserit in suis literis ad S. Bonifacium, quas huic operi supra sub Episcopo * Erimberto insertas reperies (pag. 14. & seq.)*

** Erfis-
genfi. Pro Gregorio igitur II. supponendus Gregorius III. & quod quibusdam fertur Viuiloni seu Viuilo pallium iterum ademptum fuisse à Zacharia Pont. quod honorantias (vt vocant) pro Pallio Romam mittere nollet, commentitium videtur.*

u. Epistola Gregorij III. Viuiloni missa, huius est tenoris.

Dilectissimis nobis Episcopis in Prouincia Baiouariæ & Alemanniæ constitutis Viugoni, Luidoni, Rodulpho, Viuilo seu Addæ, Gregorius
Papa.

*Recitat
hanc Epistolam Ba-
ron. Tom.
9. Anno*

Christi 738

Gregorius III. Papa. An. VIII. Exstat etiam in tertio Tomo conciliarum editionis Biniana inter res gestas & Epistolæ Gregorius III.

stoli

stoli doctrinam, admonéo & hortor vos, carissimi, per misericordiam DEI, vt *Eph. 4.*
dignè ambuletis eà vocatione, quã vocati estis, vt ministerium vestrum perfe-
ctum sit coram Domino.

Opportunum namque est, vos nosse fratrem & coepiscopum nostrum,
præsensem Bonifacium, nostram agentem vicem, cum digno ac debito hono-
re pro Christi nomine suscipere, & ministerium Ecclesiasticum, cum fide Ca-
tholica, secundum morem & normam S. Catholicæ & Apostolicæ DEI Eccle-
siæ, cui misericordia DEI præueniente, præesse videmur; sicut Apostolica au-
thoritate à nobis destinatus est, ab eo suscipientes, dignanter teneatis, & genti-
litarum, & doctrinam, & venientium Britonum, vel falsorum sacerdotum
& hæreticorum, aut vndecunque sint, renuentes ac prohibentes, abijciatis; &
vt populùm vobis à DEO commissum, pijs admonitionibus edoceatis, & à sa-
crificijs mortuorum omninò abstineatis; & iuxta quod fueritis à prædicto no-
stro confacerdotè edocti, ita Catholicam & Apostolicam doctrinam tenentes,
Domino DEO Saluatori nostro placeatis; cui quo vobis loco ad celebranda
concilia conuenire mandauerit, siue iuxta Dannbium, siue in ciuitate Augusta,
vel vbicunque iudicauerit, pro nomine Christi parati esse inueniamini: quate-
nus cognoscamus per eius mandatum de vestro conuentu, vt in die aduentus
Christi IESU, cum fructu boni operis, ante eius tribunal assistere mereamini, *1 Pet. 8.*
dicentes: Ecce nos & pueri, quos dedisti nobis Domine. Non perdidimus ex
eis quenquam. Vt & vos Dominicam vocem audire mereamini, dicentem. *Matth. 23.*
Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum est ab ori-
ginemundi.

SIDONIUS in Chron: M. S. Sedonius appellatur & in epistola PP. Zachariae proxi-
mè sequente.

Reuerendissimo & Sanctissimo fratri Bonifacio Coepi-
scopo, Zacharias seruus seruorum Dei.

Virgilius & Sedonius religiosi viri apud Baioariorùm prouinciam degentes *al. Sici.*
suis nos literis visitarunt. Per quas intimauerunt, quòd tua reuerenda fra-
ternitas eis iniungeret Christianos denuo baptizare. Quod audientes nimis su-
mus conturbati, & in admirationem quandam incidimus, si habet, vt dictum
est. Reulerunt quippe quod fuerit in eadem prouincia sacerdos, qui Latinam
linguam penitus ignorabat, & dum baptizaret, nesciens, Latini eloquij infrin-
gens linguam diceret: *al. Spiritus*
Sancti.
Baptizo te in nomine patris, & filii, & spiritus sancti: ac per hoc
tua reuerenda fraternitas considerauit rebaptizare. Sed, sanctissime frater, si
ille qui baptizauit, non errorem aut hæresim introducens, sed pro sola igno-
rantia Romanæ locutionis infringendo linguam, vt suprà fati sumus, bapti-
zans dixisset, non possumus consentire, vt denuò baptizentur, Quia, quod tuã
benè compertum habet sancta fraternitas, quicumque baptizatus fuerit ab hæ-
reticis, in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, nullo modo rebaptizari debeat, sed *al. debet.*
per solam manus impositionem purgari debeat. Nam sanctissime frater, si ita *Sic. doctri-*
est, vt nobis relatum est, non amplius à te illis prædicetur huiusmodi, * sed vt *na.*
sancti Patres docent & prædicant, tua sanctitas studeat conseruare. Deus te in-
eolumem custodiat reuerendissime frater. * Data Calendis Iulij, imperantè *Desunt in*
Domino pijssimo Augusto Constantino, à Deo coronato, magno Imperatore, *Sic.*
anno vicesimo sexto, Imperij eius anno quarto, Indiétione quarta decima.

Non alienum ab instituto nostro estimamus hisce inserere ex Velsero qua de Synodo Y:
Dingolsingæ celebrata commemorat.

DE CONCILIO, quod Dux Thassilo apud Dingoluingam celebrauit.

Quidam
XXII. ha-
bent, scri-
ptorum er-
rore Mēbr.
XXIIII.
Reitē. Cū
Thassilo
ann. 749.
Dux appel-
latus fue-
rit.

Pro sub die
consulem
fort. leg.
sub die
Callisti,
qua pridie
Id. Ob.
incidit. Et
si barbaro
auro, inter-
dum diem
Episcopus
indefinite
scimus po-
sit.

* primates
& peritos.
diuturni-
tate.

* parochia
Excepto si
deberent.
prolatu.
Et si qui.
publica.

Et si qui.
pena.

Si uentes
sint, ita cō-
stituit, Cō-
stitutio
aut exci-
dit. San-
ctimonial-
les. Hic
quoque al-
quid exci-
dit.

Hac man-
ca & cor-
rupta sunt
Et etiam
sequenti
pleraque
de uelle

Adel-
schalk, no-
bilis min-
ster, VVe-

regeldam & VVero-geldum, estimationis pretium. Panit. Rom. tit. 4. c. 17. pretium tuum id est VVregeldum tuum. Vbi perpe-
ram VVregeldum legitur. Grat. sine Pal. 17. q. 4. c. 26. ex com. Trib. etia VVregeldū habet, ubi Getust. edit. pro voce non inuol-
leāa, Renaldum praeserunt.

Regnante in perpetuum Domino nostro IESU Christo, in anno uero
XXIII. regni religiosissimi Ducis Thassilonis gentis Baioariorum, sub die con-
sulem, quod erat II. Id. Octobr. atque anno ab incarnatione dominica DCCL.
XXII. Indiēt. X. Diuina praefatus inspiratione, ut omne regni sui praenota-
tus Princeps collegium procerum coadunaret, in villam publicam Dingolui-
gam nuncupatam. ut ibidem tam regulare moderaret in sancto habitu Ceno-
nium uirorum & puellarum, quam Episcopales moderaretur obsequias, insu-
pergentis suae institutiones legum per primatos imperitos, uniuersa consenti-
ente multitudine, quae reperit diuturna uitiata, & quae uidebantur abstrahen-
do euellere, & quae decretis placent componenda, instituerentur. Inter tot
uero collegia sacerdotum, deuolutis Episcoporum & Abbatum in praesentia
paginis, regularis ordinis uitae, atque canonum normas, uel decreta patrum,
nullis comprobare quierant testimoniis, ut Monachis parochi commendari
deberent, uel publica baptismatis obsequia, nisi forte pro periculo mortis, &
nihil eorum implerent commorandi negotio. Excepto uicissitudinis uillarum
proprietarum singulis annis obediencialibus curis commissio ab Abbate proprio
fuerint determinata, unde ab uniuersis Abbatibus facta professio, ut minime ti-
tulis popularibus se ingerere depellerentur, & haec omnia, cui commissae sunt
plebes, sub potestate Episcoporum permanerent, sicut in sanctis Synodis, uel
decretis praefatorum patrum, perarata comprobatur conscriptio. Ab Episco-
pis uero simili modo, & nihilominus praelatis ponderauerunt sententiis, ut er-
ga eos charitatis gererentur curae, ita ut canonica auctoritas confirmat, & spiri-
tualis concordia declarat. Hoc peracto concilio, & ab uniuersis uno ore con-
firmato, ita si quis de eadem institutione deuiare praesumpserit, a collegio co-
rum alienetur, usque iterato examine, id est publico Synodo.

*HÆC SUNT DECRETA quae constituit sancta Synodus, in loco qui dicitur
Dingoluingen, Domino Thassilo mediante.*

De die Dominico ita constitutum est, ut tali honore habeatur, sicut in lege
scriptum est, & in decretis canonum, & si quid praesumpserit frangere contra
legem, aut decreta canonum tali poena subiaceat, sicut ibi scriptum est. De
hereditate quae tradita est ad Ecclesiam, ita constituit, ut quisquis hereditatem
suam ad Ecclesiam ante donauerat, aut postea donauerit, si quid mutare uo-
luerit, chartam suam habeat ita scriptam, ut locum & tempus & personam ha-
beat, aut tribus testibus fidelibus & nobilibus testificetur. Si sacerdos non
habeat chartam nec testem, ut praediximus, tunc sicut in lege Baioariorum, &
iudex iudicat, sic defendat. De eo quod Episcopi iuxta canones, & Abbates
monasteriorum iuxta regulam uiuentem, ita constituit. De eo quod sanctae
moniales, quae in seruitio Dei sunt, ita constituit; ut nullus ausus sit in coniu-
gium & in matrimonium ducere. Aut si quis ausus fuerit, contra decreta ca-
nonum, ita componat, sicut canones decreuerunt. De eo quod ius ad legem
quam habuerat in diebus patris sui, nobiles & liberi & serui eius, ita donaue-
runt, ut firma fieret. De eo, quod ut si qui de nobili genere de hereditate sua
dare ad sanctuarium Dei, in sua potestate esset, nec mutaret, in perpetuum.
De eo quod ut serui Principis qui dicuntur Adelschalhe, ut suam habeant Were-
geldam, iuxta morem quem habuerunt sub parentibus, & ceteri minores We-
regeldi iuxta legem suam, ita constituit. De eo quod parentes principis, quod-
cumque praestatum fuisset nobilibus intra Baioarios hoc constituit: Ut perma-
neret & esset sub potestate uniuscuiusque relinquendum posteris, quam diu
stabiles foedere seruassent apud Principem, ad seruiendum sibi, & haec firma per-
maneret, ita constituit.

De eo

De eo ut nullus hereditate sua priuatur, nisi per tres causas, quas in pacto scribentur: propter homicidium, hoc est ut quisquis hominem Principis sibi dilectum occiderit, ob iniuriam Principis, & ad calumniam, hominem cōponet secundum legem, tunc priuatur hereditate sua. De eo, quisquis mulierem nobilem acceperit in coniugium, & non præsciuit, ita constituit, ut iterum libera esset, dimittat seruum & postea non redigatur in seruitium, sed esset libera. De eo, quod & si quis de quocumque reatu accusatus ab aliquo, potestatem accipiat cum accusatore suo pacificare, si voluerit, antequam pugnam quæ Wehadine vocatur, permittat. De eo, quisquis de nobili genere deprehensus fuerit de illis IV. causis, de quibus supra diximus, si ille hereditate sua portionem pro illius criminis reatu perdat, vxor autem illius, suo iure non priuatur, ita constituit.

Qua in pacto scribentur. Secunda & tertia causa cur quis hereditate priuandus, videtur excidisse. Quisquis seruum mulserit. Fort. V. Wehadine. pro V. V. ebrding. Illis III. causis de quibus supra diximus illa hereditate sua.

Psalteria.

DE COLLAUDATIONE quam Episcopi & Abbates in Baioaria inter se fecerunt, pro defunctis fratribus. In Christi nomine. Notitia, qualem conuenientiam gentis Baioariorum Episcopi & Abbates inter se fecerunt: quorum nomina infra per arare stylo decreuimus. Id est, Manno Nuiuenpurgensis ciuit. Episcopus Alim, Virgilius, Wiserich, Sintprecht, Heres, Episcopi. Opportunus, Wolfprecht, Adalprecht, Ato, Vto, Lantfrit. Albune, Ruochart, Ernest, Reginprecht, Volchanhart, Perhhoz, Sigido, Abbates. Ut eorum quis de hac luce migraret, vnusquisque superstitum Episcoporum vel Abbatum, pro defuncto, in domo sua Episcopali vel Cœnobio C. missas speciales, & eodem numero psalterio cantare faciat: ipse verò de propria persona sua XXX. speciales missas compleat, vel à religiosis sibi met subiectis, implere omnino prænotatum faciat numerum, presbyteris siue Monachis, cum de hoc sæculo migrauerint, Episcopus seu Abbas, vno presbytero vel vno monacho, XXX. missas speciales, totidem psalteria faciant celebrari.

DE POPVLARIBVS LEGIBVS.

Prænotatus Princeps, vniuerso concordante collegio, hi constituit. Ut nullus à prouinciæ suæ mancipium limine venundare, vel proprium vel fugitium, præsumpserit. Et si quis hoc decretum non obseruauerit, Weregeldo suo culpabilis remaneret. Et nullus furtiuam rem, tam in equis & aliis quadrupedibus, quam in reliqua suppellectilia extra finem Baioariorum venundare, vel machinis diabolicis extra minandi, insidiis regi, ut si quis hoc præsumpserit, XL. sol. componat in publicum. Ut quis domum, tam liber quam seruus, altius effoderit, & ibi occisus fuerit, sine compositione in sua damnatione permaneat. Si autem suppellectilia abstulerit de eadem domo, & eo fugiente in curtem vel extra curtem, hic cui damnum intulit consequitur, & interfecerit, pari subiaceat sententia. Similiter qui liberum vel mancipium suum furauerit, & cum comprehendere minimè quiuerit, & ibidem interfecerit reum, superior permaneat sententia. Sed tamen ea genera trium homicidiorum, debita signa vicinis suis, & his qui assistunt, insignet. De pugna duorum, quod Wehadine vocatur, ut prius insortiantur quam parati sunt, ne forte carminibus, vel machinis diabolicis, vel magicis artibus insidiantur. Qui supra prædictæ pugnæ, quod chamfvic diximus, peracto iudicio, se simili vindicta erigere contra querentem præsumpserit, sacramentum quod ante id dicitur, iuret in Ecclesia, cum tribus nominatis sacramentalibus. De eo quod Baioarij Stapsaken dicunt, in verbis quibus ex vetusta consuetudine paganorum idolatriam reperimus, ut deinceps non aliter, nisi indicat qui querit debi-

Sic constituit.

deest aliquid.

Insignare lit. docere. An V. V. ebrding. Formula iuramenti sacramenti. extat leg. Aleman. tit. 6. ita dicitur.

*Liber ab-
stulisti.
Sico*

*Verbalis
sententia.*

*Baioaria.
ancilla.
ascendi.*

*Exadoma-
uerint, hoc
est, libera-
ti causa
iudica-
uerint, &
ex domo e-
duxerint.
Mallum
& placitū
conuentus
est.*

*K. Marti-
vi, qua scilicet
vires apud
francos, a-
gendis cō-
uentibus
Zengen-
zucht.
selbstschē-
homicidij.
reperi.*

*Alode,
Pradium
sive man-
cipi, oppo-
nitur hō-
mī benefi-
ciarii sine
feudalib.*

*Extrami-
netur ab
alto officio.
depellatur
magistra-
tu, quem
gerebat &
veum.*

** Z.
scura,
vires scelerū
quō.
vires officia
sive cui
fraudem.
dimissionē
quō.*

*Annales Francor. incerti authoris, anno 788. toto decennio post isthac facta esse tradunt:
quam annorum supputationem Hunnius quoque videt ar hic secutus; dum Bavariam Pi-
pino*

tum, Hæc mihi iniuste abstulisti, quæ reddere debet. Reus verò contradicat, nec hoc abstulisti, nec componere debeo. Iterata voce requisito debito, dicat, extendamus dexteras nostras ad iustum iudicium Dei, & tunc manus dexterarum vterque ad cælum extendat. Ut nullus furtivam rem suscipere, vel intra terminum abscondere præsumat, qui hoc fecerit, XL. sol. componat. Vt hi qui Ducali manu liberi dimissi sunt, ad eadem cogantur iudicia quæ Baioarij Vrtella dicunt. Vt hi qui in Ecclesia libertatem conquirebant, deinceps, tam ipsi quam eorum posteritas, in secura libertate permaneant, nisi forte sibi ipsimet insolubile damnum inferant, quod componere minimè quiuerunt. Qui ex eis occidentur, pretium eorum his solvatur Ecclesiis, vbi liberi dimissi sunt. Liberi qui ad Ecclesiam dimissi sunt liberi, vel per chartam acceperunt libertatem à Rege, si occidantur, LXXX. sol. componantur Ecclesiæ, vel filiis eorum, in Dominico XL. sol. compon. Si ancilla libera dimissa fuerit per chartam aut in Ecclesia, & posthac seruo nupsit, Ecclesiæ ancilla permanet. Si autem libera Baioario seruo Ecclesiæ nupsit, & seruale opus ancilla contradixerit, abscedat, si autem ibi filios vel filias generauerit, ipsi serui & ancillæ permaneant, potestatem exinde non habeant. Illa autem mater eorum, quando exire voluerit ante annos III. liberam habeat potestatem; Si autem HI. annos indurauerit opus ancillæ, & parentes eius non exadomauerint eam ut libera fuisset, nec ante Comitem, nec ante Ducem, nec ante Regem, nec in publico mallo, transactis tribus Kalendis Martis, post hæc ancilla permaneat in perpetuum, & quicumque ex ea nati fuerint, serui & ancillæ sunt. Qui furtivam, quod Zougenzucht dicitur, super furem comprobare nequiverit, furtiuo compon. more. Qui resistit domum suam, quod selisichen dicunt, qualem rem querenti resistebat, talem compon. In publico XL. sol. Qui manum immissionem resistit, quod hantelod dicitur, XL. sol. soluat in publico, & ipsam rem querenti reddat. De his qui supra dictis homicidiis debita morte in furtiuo repertis, ut si quis huius interfecti parentelæ, eum qui suo scelere captus est, vindicare tentauerit, à propria alode alienus efficiatur. Et si quis signum, quod est sigillum, inhonorauerit, vel huiusmodi iniuncta minimè impleuerit, prima vice arguetur, secunda XL. sol. compon. III. suam Wereldum. IV. extraminetur ab acto officio. Ut si quis iudicium furem in bina vel terna reprehensione non damnauerit, & eum diabolico lucro dimiserit, ut per illum quasi participes, pauperum spoliis ditarentur, tot sceleris quod commiserit ante oculos Dei & angelorum efficiatur, & nihilominus cuius fraudem fecerit, quasi proprium componat debitum. Vt si quis in virtute coniunctus, à coniuge propria adulterina separatus fuerit, eiusq; ex cognatione coniugis, propter eandem dimissione * quæ eum persequi tentauerit, à proprio alienetur patrimonio. Ut nullus post tonsuram capillos vsu populari nutrire præsumat: nec velata, relicto velo, sæcularem habitum sumat. Vt si quis vel qua in hoc vitio reperti fuerint, aut corripiantur, aut excommunicentur.

Concilij acta & decreta hæcenus. Quæ quantumvis rudia, & plerisque locis obscura, nec nobis satis intellecta, tamen mutari religio prohibuit, ne antiquitate consecratis manus attulisse censeremur: qui enim hoc genus monumenta, suavi & Latino sermone interpretari maluerunt, eos multo labore quasitam eruditorum lectorum gratiam, non tenuisse animaduertimus, quod sibi quisque ipsi credere, quam alienam fidem sequi malit.

Annales Francor. incerti authoris, anno 788. toto decennio post isthac facta esse tradunt: quam annorum supputationem Hunnius quoque videt ar hic secutus; dum Bavariam Pi-
pino

Pipino Caroli M. filio cessisse ait, qui paulo antea Italia quoque designatus fuerat: anno nempe 806 sed nos Velseri Chronologiam, ut certiores sequimur. Idemque ipse Vels. Eo. car. VI. ann. 806. sic persequitur. Reg. alii
p. 111.

Pater (Carolus Magnus) de uexa iam aetate, ne qua se mortuo existeret disensionis inter filios sementis, coactio procerum concilio, de eorum sententia prouincias partitus, testamentum scripsit: in quod cum omnes iurassent, Leoni Pontifici signandum Romam missum est. Boica cis Danubium, Italiae iterum coniungenda, Pipino, quae trans flumen Carolo, procerum destinatione tributa. Nec pigebit tria partitionis capita ex testamenti tabulis ad fidem transcribere.

Diuisiones verò à Deo conseruati & conseruandi Imperij & Regni nostri, tales facere placuit. Vt Aquitaniam totam & Vasconiam, excepto pago Turonico, & quidquid inde ad occidentem atque Hispaniam respicit, & de ciuitate Niuernis, quae est sita supra fluuium Ligerem, cum ipso pago Niuernense pagum Aualensem atque Alensem, Cabillonensem, Matisconensem, Lugdunensem, Sabotiam, Moriennam, Tarentasiam, Montem Cimsium, Vallem Segusianam usque ad Clusos, & inde per terminos Italicorum montium, usque ad mare: Hos pagos cum suis ciuitatibus, & quidquid ab eis contra meridiem & occidentem, usque ad mare, vel usque ad Hispanias continetur, hoc est illam portionem Burgundiae, & Prouinciam ac Septimaniam vel Gothiam, Ludouico dilecto filio nostro consignauimus.

Italiam verò quae & Langobardia dicitur, & Boioariam, sicut Thassilo tenuit, exceptis duabus villis, quarum nomina sunt Ingoldestac & Lutrahahof, quas quondam Thassiloni beneficiauimus, & pertinent ad pagum qui dicitur Nortgouue, & de Alemania partem quae in Australi ripa Danubij, currente limite usque ad Rhenum fluuium, in confinio pagorum Chiergouue & Hegouue, in locum qui dicitur Enge, & inde per Rhenum sursum versus usque ad Alpes, quidquid inter hos terminos fuerit, & ad meridiem vel orientem respicit, una cum Ducatu Curiensi, & pago Burgouue, Pipino dilecto filio nostro.

Quidquid autem de regno nostro extra hos terminos fuerit id est Franciam & Burgundiam, excepta illa parte quam Ludouico dedimus, atque Alemaniā, excepta portione, quam Pipino ascripsimus, Austriam, Niuistriam, Turingiam, Saxoniam, Frisiam, & partem Batoariae quae dicitur Nortgouue, dilecto filio nostro Karolo concessimus. Ita ut Karolus & Ludouicus uiam habere possint in Italiam, ad auxilium ferendum fratri suo, si ita necessitas extiterit. Karolus per uallem Augustanam, quae ad regnum eius pertinet, & Ludouicus per uallem Segusianam: Pipinus uero & exitum & ingressum per Alpes Noricas atque Curiam. At haec quae Pipinum & Carolum respexere, fuere irrita, ut solent pleraque mortalium in antecessum cogitata, parte utriusque superstitite. Augusta
Pacoria.
Salustianu
Sallu qua
rum Bur-
gundia ac
celebatur.

De Vrolpho Waldericus successore cui Auentinus non rectè Hattonem premitit, notatu digna sunt, qui Velserus scribit Boicar. VI. sub Ann. (805) Vrolphus Batauis Episcopus constituitur, quem quindecim tantum menses sedisse Batauensis Ecclesiae tabulae testatū faciunt. At extat Eugenij Rom. Pont. Epistola post annos circiter viginti scripta, in qua Vrolphi Laureacensis Episcopi nomen est positum, ut eo usque vitam produxisse inde liqueat. Me coniecturae non poenitet, Vrolphum post decimum quintum mensem ad Hunnos & Morauos pietatis studio informandos abeuntem, Batauensem sedem reliquisse, Laureacensis aa.

sis Archiepiscatus nomen retinuisse, quo maiori cum dignitate Euangelij causam apud barbaros tractaret, &c.

Epistola Eugenij P. P. integra hec est:

Est Eugenium I. qui Pontificatus eius anno 824. vide Baro. pars huius diplomatis recitatur ab Hundo in Metropol. seu Irolfo Archiepisc. Laureacens.

EVGENIUS Episcopus servus servorum **DEI** **RATHFREDO** sanctæ Favianensis Ecclesiæ, & **METHODIO** Ecclesiæ speculi Iulienis: Quæ & Soriguturenfis duncupatur, atq; **ALEVVINO** sanctæ Nitrauiensis Ecclesiæ, pari que modo Annoni, S. Vetuarenfis. Ecclesiæ Episcopis, simul etiam **TVVTVNDO** nec non Moy-marø Ducibus & optimatib., exercitibusq; plebis Hunniæ, quæ & Auaria dicitur, & Marauia. Desiderio salutis animarum vestrarum filij in Christo charissimi. Cui audiuius Christianissimam conuersationem vestram & sanctæ fidei bonorumq; operum vestrorum processum, summo gaudio atq; lætitia fuimus exhilarati, quia diuina in nobis operante clementia, vt Apostolus ait, vbi habundauit delictum, ibi super habundat gratia, atq; quomodo sancta **DEI** Ecclesia nostris temporibus quotidianum in electione vestra suscipit incrementum. Cuius optabilis rumoris index fuit reuerendissimus **YROLPHVS** sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopus & sanctissimus frater noster, vester autem spiritualis pater, qui per suam sanctam prædicationem adoptiuos **DEO** vos genuit filios. Is itaq; ad Apostolorum limina orationis causa veniens, nouam Ecclesiam nostris Apostolicis benedictionibus informandam subnixè commendauit, quia dño auxiliante, Catholice gubernandam in vestris partibus suscepit. In quibus etiam quondam Romanorum quoq; Gepidarumq; ætate vt electione certum est, in septem Episcoporum parochias antecessores sui iure Metropolitanò obrinuerant diocesim. Quæ ex iustitia & lege præfatus **DEO** dignissimus Archiepiscopus debito obligatur, vt illi terræ prius Christianicolæ atque suorum antiquitus antecessorum creditæ prouidentia quam nunc vos **DEI** Omnipotentis occulto mediante iudicio velut hæreditariam possidetis ipse Euangelicus agricola diu negata cælestis spargat semina vitæ, atq; in lucrandsi Christo animabus rediuuam de vobis nutriat segetem. Quæ nos doctissimum diuini Oraçuli ministru salutem vestram cognoscentes per omnia necessarium fide & exemplo probatum merito erga illum Apostolicam seruantes sententiam, qua dicitur. *Quomodo credens sine prædicante, aut quomodo prædicabunt nisi mittantur?* ab hac sancta Romanâ matre Ecclesia vobiscum Rectorem transmisiimus, atq; in præfatis regionibus Hunniæ quæ & Auaria appellatur, sed & Marauia prouinciarum quoque Pannoniæ siue Mesiæ Apostolicam vicem nostram & diocesim, atq; ius Ecclesiasticum exercendi, & vsum ac potestatem antecessorum suorum, videlicet sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscoporum sibi successoribusq; suis canonicam auctoritate committimus, atq; huius constitutionis nostræ decretum subscriptionis priuilegio roboramus. Pallium præterea iuxta consuetudinem antiquam sanctitati suæ dedimus, quod ita sibi concessimus, sicut prædecessores nostri, suis prædecessoribus concessere, priuilegiorum suorum scilicet integritate seruata. Cuius dilectioni quamuis hoc debito permitteremus, propter vestras autem petitiones super hac re flagitantibus, ad honorem suum nostram Apostolicam vicem & auctoritatem insuper accumulauimus, quod nunquam suis permissum est prioribus. Quatenus & vos Confratres & Coepiscopi deinceps ei reuerentiã ampliore exhibere sciatis, & in sana doctrinâ cælestis eruditionis ad ædificationem vestram vt filij sapientes obediat, atq; vos laici primates & vulgus saluberrimis præceptis suis non velut homini, sed tanquam **DEO** humiliter obtemperetis, & in fide Catholica, quam per Dominum **IESVM** consecuti estis, fortes permaneat. Nam torius doli artifex Diabolus cuius dominio & populis in Baptismate abrenunciatis, iacturam & damnum vestræ salutaris surreptionis moleste patitur, ac per varias

** pompi*

rias occasiones Zizania perfidia feminando velut multâ iniuria bacchatur, & ut vestrum aliquis terga vertat sanctæ professioni incessanter molitur. Quapropter sæpè dicti Archiepiscopi videlicet pastoris vestri à Deo destinati institutionibus benignas aures præbere, qui vos & versutiam Sathanæ cauere atque eius æternos cruciatus euadere instruit, ac ipse in die iudicij de bonis operibus vestris seculorum Domino perpetua remunerandos gloria præsentabit. Ad perfectam autem & necessariam eruditionis vestræ salutem, ut comperimus nõ sufficiant pauci, qui modo constituti sunt vobis Episcopi, quia plures sunt adhuc gentilitatis errore ibidem detenti, ad quos propter inopiam præconum diuini verbi nondum peruenit noticia Christi. Idecirco enim, ut accrescat turba fidelium, studeat solertia vestra pro mercede & remissione peccatorum vestrorum adminiculum atque iuuamen præbere Reuerendissimo YROLFO Archiepiscopo, quatenus dudum illic constitutorum Episcoporum numerus impleatur, qui congruè constituti, & vobis posterisque vestris poterunt esse proficui, si ad restorationem Ecclesiarum propter nomen Domini de possessionibus vestris, quas reditus dotesque earum fama diuulgante quodam fuisse noueritis æternam sufficientiam vobis comparantes eisdem Ecclesiis ipsi conferatis, idoneis viris ad hoc ministerium electis, maxime in illis locis, si opportunitas & utilitas commendauerit, ordinentur antistites, vbi indicia Ecclesiarum & ædificiorum Sedes Pontificiales olim fuisse demonstrant, sin autem illius arbitrio & deliberationi qui vel vbi disponantur Episcopi concedimus, cui vicem nostram apud vos Ecclesiastici regiminis per omnia commisimus.

Vrolphum Archiepiscopum non in cassum laborasse Velfer: docet. anno quo supra: Boio. VI.
Hunorum, inquit, interim reliquias Slauiperpetuis excursionibus carpentes, sedes mutare coegerunt. Princeps gentis Theodorus Christianam religionem professus, adito Aquis Carolo agrum Sabariam & Carnuntum inter habitandum impetrat. &c.

Hattonem hunc Synodo Salisburgensi interfuisse, Chronicon Episcoporum Patauiensium penitus silet & Velfer. quoque (VI. Boic. ad annum 807) licet præcedente anno Batauen. sedem Hattonem Episcopum accepisse scribat: de Synodo autem isthæc profert.

Anno DCCCVII. Concilium Salisburgi XVII. Kal. Decembr. indictum. Affuere Arno Archiepiscopus, Atto Frisingen, Adalvvinus Reginoburgen., Henricus Sabionensis Episcopi. De decanis & relique sacrorum iure disceptatum definitumque esse annotatum reperio, ipsis Concilij actis nondum erutis.

Sequitur diploma Regis Ludouici.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ludouicus diuinâ fauente gratia, Rex. Si liberalitatis nostræ munere, de beneficiis diuinitus nobis collatis, locis sanctorum quiddam conferimus, id nobis, procul dubio, ad æternæ remunerationis præmia capessenda profuturum liquidò credimus. Proinde nouerit omnium fidelium nostrorum præsentium scilicet & futurorum industria; quia nos, pro mercedis nostræ augmento, concessimus Ecclesiæ Patauien. quæ est constructa in honore sancti Stephani prothomartyris, vbi etiam sanctus Valentinus confessor Christi corpore requiescit, cui præfenti tempore venerabilis vir Reginarus Episcopus præesse videtur, quasdam res proprietatis nostræ quæ sunt in prouincia Auarorum, in loco qui dicitur Kirchbach, id est, Ecclesiam vnã constructam, cum territorio, ad mansos centum faciendum, & plus, quarum terminia sunt, ab ipso loco pergens per vnã

vnam semitam vsque ad locum qui dicitur Tumus, & inde, per circuitum vsq; ad prædictum Kirchbach, & deinde vsq; ad Markam Theotherij, & inde vsque sursum Cynnenberg. Has itaque res, cum prædicta Ecclesia, cum Vineis, terris, cultis & incultis, pratis, syluis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, adiacentijs, peruijs, & exitibus, & regressibus, totum & ad integrum, quemadmodum Ratbodus Comes Annonicor Episcopo ipsas res consignauit, ita prædictæ Ecclesiæ pœnitentialiter concessimus, & de nostro Iure in ius & ditionem eius, liberalitatis nostræ munere conferimus, ita videlicet, vt quicquid Rectores & ministri supradictæ sedis de ipsis rebus, iure Ecclesiastico, facere voluerint, libero in omnibus perfruantur arbitrio faciendi, tantum scilicet, vt dum Anno cor Episcopus, atque Anno Nepos eius, aduixerint, ipsas res tenere & vsare faciant, & nullus eis ipsas abstrahere præsumat, & post illorum discessum cum integritate ad eandem Ecclesiam reuertantur. Et vt hæc auctoritas largitionis nostræ per curricula annorum inuiolabilem atq; inconcussam obtineat firmitatem, manu propria subter firmauimus, & annuli nostri impressione signare iussimus. Signum Ludouici gloriosissimi Regis. Adalocus Diaconus ad vicem Grimaldi recognoui. Data XIV. Kal. Maij, Anno Christo. propitio, III. Regni Domini Ludouici Regis in Orientali Francia indiction. XIV. lectum Ostrenhoua, pallacio Regio, in Dei nomine feliciter, Amen.

dd. *Privilegium Arnolphi Cas: Episcopo Engelmaro concessum.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Arnolfus diuinâ fauente gratiâ Imperator Augustus. Si de rebus terrenis, quibus diuinâ pietate iure hereditario sublimati atque coronati sumus, aliquam particulam, ad Monasteria à Deo sanctis ac iustis hominibus prædita, largituri sumus, non solum præsentialis, verum etiam æternæ vitæ remedia à Deo omnipotenti, & sanctis eius, inde nobis concessa manifestissime credimus. Quapropter omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumq; tam præsentium, scilicet quàm & futurorū, cognoscat industria, qualiter nos, diuinâ atq; humanâ fidelium nostrorū amonitione, quandam particulam proprietatis nostræ sancto Dei confessori Valentino, atq; B. Stephano, prothomartyri eius (ad quorum laudē & honorem Patauien. Ecclesiæ Episcopatus constructus atq; dedicatus dignoscitur, cuius nūc Engelmarus, dilectus atq; fidelis Episcopus noster, pastor & Rector bonus, ac prouidus esse dignoscitur) illuc perpetualiter in proprium retinendam concessimus, hoc est, in eadem vrbe Patauien. mediam Dominicalem aream nostram, quæ vsque hodie ad opus nostrum ibi pertinebat, cum omni integritate ad iam dictum sanctum locum, iure perenni, in proprium donauimus atque tradidimus, eā videlicet ratione, vt ipsa area, per hanc nostram auctoritatem firmiter in Dei nomine roboratam, sub potestate eiusdem Rectoris atq; pastoris perpetualiter consistat. Et vt hoc certius credatur, manu propria subter eam affirmantes, annulo nostro insigniri iussimus. Signum Domini Arnolphi, inuictissimi Imperatoris Augusti. Wihingus Cancellarius, ad vicem Theodmari recognoui. Datum idus Decembris, Anno Domini DCCCXCIII. Indiction. prima. Anno Regni Domini Regis Arnolphi vndecimo, Imperij autem tertio. Actum in ciuitate Regina, in Dei nomine feliciter Amen.

ec. *Error in dat. Prescribendus est numerus 893. sicut patet ex denominatione Arnolphi proxime præmissa. Cetera diplomata ad Episcopum Winechindum pertinent.*

Diple-

Diploma confirmationis per Arnulfum Imp. factæ, cuius hic fit mentio. ff.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Arnolfus diuinâ fauente clemenciâ Imperator Augustus. Si liberalitatis nostræ munere locis Deo dicatis quiddam beneficij conferimus & necessitates ecclesiasticas, ac petitiones seruatorum Dei, nostro releuamus iuuamine, atque Imperiali tuemur munimine, Id nobis ad mortalem vitam transigendam temporaliter, & ad æternam felicitatem obtinendam profuturum liquidò credimus. Quapropter comperiat omniû fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, industria, quod Wichingus Pataviens. Ecclesiæ præsul venerandus, obtulit nobis auctoritates immunitatum piæ recordationis Caroli atque Ludouici, serenissimorum videlicet Imperatorum, in quibus continebatur insertum, qualiter ipsi prædictam sedem (quam Vinilo quondam sanctæ Laureacen. Ecclesiæ Archiepiscopus, post excidium & miserabilem Barbarorum deuastationem eiusdem Laureacen. ecclesiæ, nusquam alibi inuentâ suæ tuitionis securitate, primus episcopatus, Otione strenuo Bauarorû Duce concedente, qui etiam Canonicos & Monachos, quos Dei misericordia hostium subtraxerat prædæ in ecclesia, quæ est constructa in honore sancti Stephani prothomartyris Christi, vbi etiam sanctus Valentinus corpore requiescit, reucrenter collocauit) quam verò, cum omnibus ad eam pertinentibus vel aspicientibus, sub immunitatis suæ defensione consistere fecerant, & confirmauerant, vt quicquid ex liberalitate Imperatorum atque Regum siue Ducum, vel cæterorum fidelium, eidem sedi collatum fuerat, perpetuo eius ditione consisteret. Ad hæc etiam & cartulas traditionum, quas prædictus Ottilo & filius eius Tassilo, Duces Bauariorum, ob eiusdem sanctæ Pataviens. ecclesiæ restaurationem vel amplificationem, fecerant obtutibus serenitatis nostræ præferens idem præscriptus Pontifex, in quibus legebatur, quod ipsi prædicti Duces ad eandem sedem areas & mercatum, cum integro theolonia suo, ac Mancipia vtriusque sexus, molendina, piscationes, & vineas, & quicquid in eadē vrbe, vel circa eam, visi sunt in proprium possidere, nihil extra dimittentes, omnia in omnibus sancto Stephano, sanctoq; Valentino iure perenni tenenda tradiderunt. Nos autem diuino amore compuncti, & tam earundem conscriptionum testimonijs, quam etiam prædicti pontificis precibus commoti, piû morè antecessorum nostrorum, videlicet gloriosissimorum Augustorum, exequentes, eandem sedem, cum omnibus sibi subiectis, in simili modo sub nostræ defensionis mundiburdio, & immunitatis nostræ defensione consistere decreuimus, atq; iubemus, vt sicut à prædictis principibus constat eandem sedem sub eorum immunitate hucusq; vigere, ita deinceps sub nostra permaneat defensione, & per hoc nostrum Imperiale præceptum non solum istas immunitates confirmauimus, sed etiam omnium Imperatorum seu Regum sæpè dictæ ecclesiæ nouiter vel antiquitus collata munimus atque renouamus præcepta; & si quicquam adhuc est, quod ex prænominata vrbe Fiscus noster exigere poterit, hoc totum pro luminarijs & necessitatibus eiusdem Ecclesiæ expendendum ipsi quoque tradimus. Et insuper præcipimus, vt in præfata vrbe amodò nullus Iudex publicus, vel quislibet vir ex curiali dignitate, placitum aut comitatum habere præsumat, vel omninò super familiam, vel suburbanos aliqua sæcularia siue iudicialia in eâ xerceat negotia; sed aduocatus atque patronus sanctæ Dei casæ sub ditione illius sedis Episcopi constitutus, quæcunq; illic sunt disponenda, ipse, & non alius, ordinet & examinet. Præterea similiter, iubemus, vt nihilominus quispiam, in ecclesias, & Abbatias, siue cellulas, aut loca, vel agros, seu reliquas possessiones, quas moderno tempore in quibuslibet plagis vel territorijs infra

imperium Regni nostri iuste & legaliter memoratum, tenet vel possidet Monasterium, vel ea quæ deinceps per præcepta Regum vel quorumlibet traditiones fidelium in iure ipsius Monasterij voluerit diuina largitas augeri, temerarie vim, siue usurpationem, aut rapinas, vel pressuram moliri audeat: nec nos, nec ullus successorum nostrorum, deinde munera, aut conuiuia, aut vllum coactum seruitium accipere satagat: & vbicunque verò loca eiusdem Monasterij forestis nostris adiaceant, inde omnia ligna ædificiorum, pastum, & pascua, sine censu, sumant. Prænominatorum itaq; sanctorum negotiatores in aquis & in aruis sine theoloneo vbique pergant. Aurifices aut eorum, quoscunque permiserint præfata sedis Antistes, non aliter, quam nostri, omnibus fluminum arenas absque contradictione vtantur: & penitus nulla iudiciaria persona homines illorum in vilo restringere temptet: Nullus, sicut prædiximus, superioris vel inferioris ordinis Reipublicæ procurator, vel quælibet persona, ad causas tribunicio more audiendas, vel freda exigenda, aut mansiones seu paratas faciendas, parafredos aut fideiussores tollendos, aut homines, tam ingenuos, quam seruos distringendos, vilo modo super terra ipsius Ecclesiæ cõmanentes, nec vllas publicas redhibitiones aut illicitas occasiones requirèdas, exigere conetur; sed liceat memorato pontifici, suisq; successoribus, res prædicti monasterij, cum omnibus sibi subiectis & rebus & hominibus ad se iuste respicientibus, sub tuitionem atq; immunitatis nostræ defensione remotâ totius iudiciariæ potestatis inquietudine, quieto ordine possidere, & regere, & nostro fideliter parere imperio, atq; pro incolumitate nostra, coniungisq; & prolis, seu totius Regni nostri à Deo collati, vnâ cum Canonicis & Monachis sibi subiectis, domini immensam clementiam iugiter exorare delectet. Et vt hæc immunitatis & donationis nostræ auctoritas plenissimam in Christi nomine per cuncta voluentis mundi curricula obtineat stabilitatis firmitudinem, manu propriâ subrus eam confirmauimus, & annuli nostri impressione iussimus insigniri, Signû domini Arnolphi serenissimi Imperatoris Augusti. Engilbero Notarius ad vicè Theodmarij Archicapellani recognoui. Datum quinto Idus Septembris, An. incar. dominicæ DCCCXC VIII.

* Indiæ. prima, An. II. Regis Arnolphi, Imperij autem eius III. Actum Regane-spurck, Regio Pallatio, in Dei nomine feliciter, Amen.

Aliud Diploma. Ces. Arnolphi, super permutatione, &c.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Arnolphus diuina fauente clementia Imperator Augustus. Nouerit igitur omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, industria, quemadmodum nos diuino instinctu admoniti pro quodam prædio in Italia posito, quod dicitur Summus lacus Monasterij Ottinga nuncupati, ad sedem Patauiensis Ecclesiæ iure perpetuo pertinentis, quia longitudine terrarum incommodum earundem Ecclesiarum rectoribus esse videbatur, quandam nostri iuris curtim opportunius eidem Ottingensi Ecclesiæ sitam, quæ vocatur Krote, cum omnibus ad eandem iuste & legitime aspicientibus, in quibuscunque pagis iacentibus, ædificiis, domibus, mancipiis vtriusque sexus, terris, agris, campis, pratis, pascuis, syluis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, viis & inuis, exitibus & redditibus, cultis & incultis, quasitis & inquirendis, cum integritate, exceptis decimationibus vectigalium ad Monasterium sancti Michaelis iuxta lacum MATESEO SITVM IN SVSTENTATIONEM FRATRVM IBIDEM DEO SERVIENTIVM PERTINENTIBVS, pro remedio animæ nostræ parentumque nostrorum imperialique donatione tradidimus. Ipsa verò curtis in Italia, quæ

voca-

uocatur furtus lacus, in integrum ad regnum reuertatur ius & dominatio, iustifimus hoc & nostræ mansuetudinis præceptum inde conferibi, per quod decernimus atque iubemus, ut liceat ab hodierna die Rectoribus præscriptarum Ecclesiarum cuncta hæc, quæ supra memorauimus possidere, ordinare, & disponere secundum eorum voluntates, ita ut ab hodierna die nulla persona vel exactor in easdem res contra hæc descripta inuadere, aut aliquam violentiam inferre præsumat, sciens quicumque hoc facere præsumpserit, debitam pœnam violentiæ eisdem Rectoribus coactum se exoluere idest, libras XXX. argenti probatissimi; Et ut hæc nostra largitio in æuum firmior & credibilior ab omnibus habeatur manu propria subter eam firmauimus & sigillo nostro sigillari iussimus. Signum Domini Arnolphi Imp. Augusti. Engelpero notarius ad vicem Winchingi Episcopi recognouit. Datum XIV. Kal. Septembris Anno Dominicæ incarnationis DCCCXCVIII. Indictione VI. Anno XI. regni Domini Arnolphi regis, Imperij autem eius III. Actum Ratensdorff in Dei nomine feliciter. Amen.

Integrum Regis Ludouici, Arnolphi filij hic exhibemus.

88

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Luduicus diuinâ fauente clementia Rex, Si erga diuino cultui mancipata more paterno, nostri iuuenis beneuolentiam ostenderit, hoc nobis ad regni nostri diuinitus nobis collatum, nec non & perhennis iuris præmium feliciter capessendum liquidò credimus profuturum. Ideoq; omnibus sanctæ Dei Ecclesiæ presentibus fidelibus & futuris notum esse volumus, qualiter vir venerabilis, nomine Richarius, Patauien. scilicet Præsul, per quorundam procerum nostrorum, Adalberonis quoque Reuerendi Antistitis ac studiosissimi nutritoris nostri, & Waltonis Frisingen. Episcopi, nec non Lutualdi illustis Comitis & dilecti propinqui nostri interuentum, regalitatis nostræ eminentiam, merore confectus Episcopus sui damnum lamentando interpellans, eò quòd se uiente, pro cholor, paganorù impugnatione, quædã pars diocesis suæ, ubi sancti Floriani martyris monasterium constructum esse dignoscitur, ex improviso deuastata est, deprecans, ut ciuitatem illam, quam fideles nostri regni pro tuitione patriæ vnanimiter contra eorundem Christiani nominis persecutorum insidias nouiter in ripâ Onasi fluminis, in proprio iam dicti martyris, partimque in terrâ Præfecturæ terminalis statuantes construxerunt, ad suprascriptum sacrosanctum locum, in quo eiusdem beatissimi martyris corpus venerabiliter humatum est, traderemus, iuriq; ipsius sancti atque potestati largiendo firmaremus. At nos diuino compuncti amore, beatique Floriani confisi intercessione, consultui cunctorum procerum nostrorum gratanter satisfaciens, nec non prænominati ipsius Episcopi prouisioni libenti animo annuentes, decreuimus ita fieri, eandemque ciuitatem cum omni apparatu munitionis seu utilitatis, cum conuenientia terminalis comitis, per hoc præceptum nostrum. Christi martyri Floriano, absque vllâ retractione perhenni iure, pro remedio animæ nostræ parentumque nostrorum æternâ liberatione contulimus atque tradidimus. Insuper etiam quidque seruus noster quidam, nomine Perhart, in Aquilonari parte Danubij proprii in terrâ & mancipijs in ipsâ marcâ tenuit, eidem Sancto Dei perpetim firmamus, ut idem Episcopus tam de ciuitate, quamque ex ipso proprio, sui que successores liberâ perhenniter fruatur potestate. Et ut hæc verius credantur, memori manu nostrâ id subter roborantes annulo nostro iussimus insigniri. Signum Domini Luduici pijsissimi Regis. Engelpero notarius

Gg 2

ad

ad vicem Theotmari archiepiscopi recognoscitur. Datum XIV. Kal. Februarij, Anno Domini DCCCC. Indict. IV. Anno verò regni reg. Ludovicus I. Actum in ciuitate Ratifponâ in Dei nomine feliciter. Amen.

h. h. *Diploma seu literæ consensus Ludouici Regis huius sunt tenoris.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis LV DV V I C V S diuina largiente gratia REX; Liquidò enim confidimus, si erga diuina MONASTERIA Deo seruientibus aliquod solamen largituri sumus, nobis in perpetuum, & ad stabilitatem Regni nostri prodesse. Quapropter nouerit omnium fidelium presentium atque futurorum solertia, qualiter quidam COMES nomine ARBO, & ENGELMAR PURCHARDI EPISCOPI Vassallus, licentiâ eiusdem Episcopi, celsitudinem nostræ dominationis humili admonitione flagitantes adierunt, vt quibusdam CANONICIS PATAVIENSIVM Deo & sancto STEPHANO protomartyri Christi die noctuque famulantibus quædam loca, quæ antea vnâ cum decimatione ab illius sedis Rectoribus, scilicet Episcopis, in beneficium habere noscantur, in proprietatem concederemus. Nos verò, ob amorem Domini nostri IESU Christi & sancti Stephani, licentiâ Purchardi eiusdem Ecclesiæ sedis Episcopi, concessimus supra dictis CANONICIS PATAVIÆ loca vnâ cum DECIMATIONIBVS cunctis ad illa loca iustè pertinentibus, quæ antea in beneficia habuerunt, hoc est, in primis PRAMA, deinde GYRCANA, LVPIHCHINESPACH, POLLINGA, HOHINHART, ALTHAIM, OSTARYNAHA, IMATACHGOVVE. Præterea etiam CHORPHAIM, HOHINSTAT, & SCHÆRDINGA, cum omnibus ad iam nominata loca iustè & rationabiliter aspicientibus, terris cultis & incultis, campis, syluis, aquis, aquarum decursibus, mobilibus & immobilibus, quasitis & inquisitis, moleninis, piscationibus, vijs & inuijs, exitibus & regressibus, decimationibus totis INTVS & EXTRA, prope ac longè, omnia ex integro supra memoratis CANONICIS ibidem Deo & sancto Stephano militantibus in propriam potestatem perpetualiter donamus, ita vt nullus successorum nostrorum, nec de successoribus videlicet Episcopis suprascriptæ Sedis, aliquid de eis rebus minuire aut distrahere audeat, quæ pro remedio animæ nostræ, ac genitoris atque nostri antenominatis CANONICIS concessimus, & iussimus exinde hoc nostræ auctoritatis præceptum conscribi, per quod decernimus atque iubemus, vt hæc donationis nostræ donatio ab omnibus fidelibus sanctæ Dei Ecclesiæ presentium atque futurorum verius credatur, & diligentius conseruetur: manu propria nostra subter eam confirmauimus, & annuli nostri impressione sigillari iussimus. Signum Serenissimi Regis Ludovicus. E spero notarius ad vicem Theotmari Archiepiscopi recognoui & subscripsi. Data II. Idus Aug. Anno incarnationis domini DCCCC. III. Indictione VI. Anno regni Ludovicus Serenissimi Regis. Actum OTTINGA curia regia. In dei nomine feliciter. Amen.

ii. *Sequuntur duo Diplomata Leonis scil. VII. & Agapeti II. quorum Hundius hic meminit, Ex peruetusto Cod. Richerspergen. descripta.*

LEO

LEO Episcopus servus servorum DEI reuerendissimo & sanctissimo confratri nostro GERHARDO sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ Archiepiscopo omnibus diebus vitæ tantum tuæ ex hinc ammodo. Si pastores ouium solem geluque pro gregis sui custodia die ac nocte ferre contenti sunt, & ne qua ex eis aut pereat, aut ferinis laniata moribus rapiatur oculis semper vigilantibus circumspectant: Quanto sudore, quantaque cura debeamus esse peruiigiles nos qui pastores animarum dicimur, attendamus, & susceptum officium exhibere erga custodiam domnicarum ouium non cessemus, ne in die diuini examinis pro nostra desidia ante summum Pastorem negligentia reatus excruciet. Vnde modo honoris reuerentia sublimioris inter ceteros iudicamur. Pallium autem fraternitati tuæ ad Missarum solemnitas celebranda concedimus, quo tibi non aliter Ecclesiæ tuæ priuilegiis in suo statu manentibus uti largimur, non solum in die consecrationis chrismatum, ac sanctæ & venerandæ resurrectionis Domini nostri IESU Christi, seu in natal. sanctorum Apostolorum, atque beati Ioannis Baptistæ, nec non in festiuitatibus sanctæ DEI genitricis MARIE, simulque in Domini Natiuitatis die: pariterque in solemnitate Ecclesiæ tuæ die, & natalitio tuo die, verum etiam in consecratione Episcoporum & Presbyterorum, & quando à te Synodus celebratur, si fortè conuenticulum illic fuerit * Neofitorum, qui ad fidem tua exhortatione sunt perducendi, nec non in festiuitate S. Stephani Prothomartyris, sanctiq; Laurentij & illorum sanctorum, qui corporaliter in tua requiescunt parochia, uti concedimus die, sicut à prædecessore nostro Dño GREGORIO huius almæ sedis Præsule sancitum est. In secretario verò tua fraternitas pallium induere debet, & ita ad Missarum solemnitas proficisci, & nihil tibi ausu temerariæ præsumptionis arrogare. Ne dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate etiã quæ licere poterant, amittantur, cuius quoniam indumenti honor modesta actiui viuacitate seruandus est, hortamur, ut & morum tuorum ornamenta conueniant, quatenus auctore Deo recte utrobique possis esse conspicuus. Itaque vita tua filiis tuis sic regula, in ipsa si qua tortitudo illis ingesta est dirigant, in ea quod imitentur aspiciant. In ipsa se semper considerando proficiant, ut tuum post DEVM videatur esse beneficium quod vixerint. Cor ergo neque prospera quæ temporaliter blandiuntur, extollant, neque aduersa deiciant, sed quidquid illud fuerit virtute patientiæ deuincatur. Nullum apud te locum odia, nullum fauor indiscretus inueniant. Benignum te sentiant boni, districtum mali cognoscant; insonem apud te culpabilem suggestio mala non faciat, nocentem gratia non excuset. Remissum te delinquentibus non ostendas, ne quod vltus non fueris perpetrari permittas. Sit in te & boni pastoris dulcedo, sit & iudicis seuera districtio, vnum scilicet quod innocenter viuentes foueat, aliud quod inquietos feriendo à prauitate compefcat. Sed quod nonnunquam propositorum scelus dum districtus malorum vult vindex existere: transit in crudelitatem correctio, iram iudicio refrena, & censura disciplinæ sic utere, ut & culpas ferias, & à dilectione personarum, quas corrigas non recedas. Misericordem te prout virtus patitur, pauperibus exhibe. Oppressis defensio tua subueniat, opprimentibus modesta correctio contradicat. Nullius faciem contra iustitiam, accipias nullum quærentem iustitiam despicias, custodia in te æquitatis excellat, ut nec diuitem potentia sua aliquid extra viam apud vos suadeat rationis audere; nec pauperes de se sua faciat humilitas desperare: quatenus DEO miserante talis possis existere, qualem sacra lectio præcipit dicens: *Oportet Episcopum irreprehensibilem esse.* Sed his omnibus salubriter uti poteris, si Magistram caritatem habueris, quam qui secutus fuerit, à

recto aliquando tramite non recedit. Ecce frater charissime, inter multa alia ista sunt sacerdotij, ista pallij, quæ si studiose seruaueris, quod foris, intus habes, fidem autem quam in tuis Epistolis breuiter assignasti, licet latius explanare debueras, Redemptori tamen nostro gratias agimus, quod eam in ipsa breuitate ratam esse cognouimus. Sancta Trinitas fraternitatem uestram gratiæ suæ protectione circumdet, atque in timoris sui uia nos dirigat, ut post huius amaritudines ad æternam simul peruenire dulcedinem mereamur. Amen.

Diploma Agapiti P P.

AGAPITVS Episcopus seruus seruorum DEI, fratri dilectissimo & reuerendissimo GERARDO sanctæ Laureacensis Ecclesiæ Archiepiscopo, in Christo salutem. Petitiones tuas pro renouandis siue approbandis Ecclesiæ tuæ priuilegijs, uenerabilis Fuldenfis monasterij Abbas HADEMARIUS huc causa orationis ueniens cum magna beniuolentia nostræ experientia suggestit, pariterque iurgia & disceptationes grauissimas inter te & Heroldum Archiepiscopum pro utrinque susceptâ in vna prouincia pallij auctoritate exortas, flebiliter nunciauit, quod & ipsi ex debita pastoralis cura nimio cordis mœrore dolemus, detestabiliterque profanamus. Quippe sancta & uniuersalis Ecclesia, cui authore DEO præsidemus à religiosis atque pacatis sacerdotibus suis, & in caritate non ficta solidatis, quasi totidem columnis innisa fulcitur; discordantibus autem & aduersus se hostiliter inflante superbia animum tollentibus, præsertim tantis Pontificibus uelut euulsis sustentaculis casura, non sine magno periculo & uigoris sui detrimento à proprio statu concutitur. Insuper etiam dum de foris inter uos pro pallij honore pertinaciter huiusmodi contentio exercetur, agitur ut in fraternâ emulatione decor sacerdotij intus euacuetur.

Inde ergo frater Officium nostrum illud esse perpendentes ne inimicitiarum fomite in uobis succrescente dissidium sanctæ DEI Ecclesiæ atque scandalum sine consilij & utilitatis uestræ respectu diutius nutriatur, ad sequstrandum litem uestram accedimus nos arbitres tam ex sollicitudine à Domino regiminis iniuncti, quam amorum uestrorum amore ad hoc permoti, ita uidelicet ut & de prælibata conflictus uestri querimonia rationabilibus iudicijs rite iustitiæ satisfaciamus, & uos omni explosa controuersia in fraternam concordiam Christo moderante reuocemus.

Notum est igitur, literisque penes nos commendatum, quibus Ecclesiarum locis dignitas pallij ab hac Apostolica sede debeatur. Lauriacensem autem urbem antiquitus Metropolitanam fore, & Archiepiscopij sedem cui sanctitas tua præesse dignoscitur, sicut in priuilegijs authenticis ad nos usque à te directis legimus ita quoque inuentis quibusdam exemplaribus chartæ & uetustate admodum attritis in Archiuo S. Petri reperimus. Hanc etiam in exordio nascentis Ecclesiæ & immanissima Christianorum persecutione à Doctoribus istius sedis Catholicæ fidei nouimus rudimenta percepisse, & exinde à succedentibus prædicatoribus in superioris atque inferioris Pannoniæ prouincias eiusdem fidei emanasse gratiam. Quibus etiam duabus prouincijs illarumque Pontificibus usque ad tempora Hunnorum non alijs, quam sanctæ Lauriacensis præfuit Archiepiscopus, quorum barbarica feritas non solum prædictam Lauriacensem Ciuitatem, uerum etiam in circuitu adiacentes regiones depopulauit, atque funditus desolauit. Inde quidem contigit, ut
Episco-

Episcopi hac necessitate compulsi, sede illa deserta atque aliò translata, simul etiam Archiepiscopalem ipsius sedis desererent honorem. Modernis autem, nec multum retro elapsis temporibus vacante ab Apostolico Vicario Bauariorum regno, ARNO primus sanctæ Salzbürgensis Ecclesiæ subrogatur Archiepiscopus. Hæc testatur annosa memorialis sacri scrinij historia. Modo autem mortalibus propitiante Christo ab hostibus sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ quiete, & inhabitandi securitate concessa, non alibi, quam ibidem fraternitatis tuæ Cathedra oportet haberi. Quapropter reintronizamus te eidem Ecclesiæ sanctorum Patrum videlicet prædecessorum nostrorum, sed & beatæ memoriæ Domini LEONIS Papæ, à quo Excellentia tua pallio & priuilegio donata est, sanctiones atque statuta exequentes, ac sæpè dictam sanctam Lauriacensem Ecclesiam potestate & vice beati PETRI Apostolorum Principis absoluius & Archiepiscopatum & in culmen Metropolitanum sublimamus, & priuilegia nobis transmissa manu propria munimus & corroboramus, ac ratâ esse firmamus, denuoque tibi pallium cum præsentis præcepto secundum usum prius concessum, successoribusque tuis perpetim tenendum tradimus. Hisque ex amussi ita ad iusticiam reintegratis, decreuimus rixas vestras, & dissensiones præfata ex causa deriuitas dirimere, atque in fraternum amorem vos reconciliare, sic ut vtrique vestrorum modo susceptus seruetur pallij honor illæsus, hortantes quatenus Apostolicè instituti, amodo non in contentione & æmulatione maneatis. Constat quidem quod canonicè singulis prouinciis singuli ordinantur Metropolitanî, proinde distribuere, atque determinare ita vobis parochias, bonum & pacificum æstimamus vt diuisis duabus Noricæ regionis prouinciis, Heroldo Archiepiscopo Occidentalis Pannoniæ cura committatur & custodia; tibi autem successoribusque tuis, propter emeritam sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ cui iure iuniorum reuerentia assurgit in benedictionis & sedis ordine Prælati atque Præpositi prouidentiam Orientalis Pannoniæ, regionemque Auarorum atque Maraharorum sed & Schlarorum, qui modo Christiani, vel adhuc per baptismum Christo lucrandi sunt, circumquaque manentium credimus, nostramque Apostolicam vicem in illis partibus prædicandi, & pro arbitrio vestro vbi opus est Episcopos constituendi, omniaque disponere atque ordinare tali autoritate atque potestate delegamus, ac si ipsi præsentibus affuissemus. Quod si iam dictus Heroldus Archiepiscopus deinceps suorumuè quispiam successorum minime diffinito limite contentus, sed interdiciam atque à sua potestate separatam Diœcesin repetere peruacaciter conatur, nec à prohibita contentionis schismate per istas nostras Apostolicas traditiones atque determinationes compefcitur: Ipse etiam pie concessa dignitatis munificentia penitus priuetur, atque secundum ius pristinum, superior Pannonia continuetur inferiori, atque tuæ tuorumque successorum ambe perpetualiter subiaceant ditioni. Illubescens autem assensumque præbentes istis nostris saluberrimis decretis, benedicimus & Catholicos approbamus, resistentes verò atque infirmare, vel omninò pervertere contententes anathemate maranatha sanctæ Trinitatis districtè percutimus, & Apostolica sententia, qua multati Anania & Saphira expirauerunt, damnamus, & cum blasphematoribus sancti Spiritus sempiternis cruciatibus puniendos destinamus.

Littera Pilgrini ad Benedictum P. P. ordinis ac crismatis nomine.

ORDINIS ac nominis carismate prerogato sanctæ Romanæ sedis vniuersali BENEDICTO Pontifici PILGRIMVS sanctæ Lauriacensis Ecclesiæ humilis seruator. Fidelitatem precum, deuotumque seruitium. Notum fieri dignetur vobis summe sacerdotum Præsul, quod super omne animi mei desiderium nunc delectarer, & Apostolorum visitare limina, vestraq; optabili perfrui præsentia, & ea facie ad faciem, quæ literis & inter nuntiorum committo iudiciis, Sanctissimæ paternitati vestræ coram rationari, nisi quod à Neophita Vngarorum gente hucire prohibeor, apud quam fœdere pacto sub occasione pacis fiduciam sumpsimus operam exercere prædicationis. Cuius enim terror gentis ex longo tempore etiam aliarum prouinciarum, Prædicatoribus meæ diœcesis hætenus aditum clausit, ad quas nihilominus præsentis oportunitas temporis ire me vocauit. Quibus DEVS omnipotens quoniam solita sua pietate semper dispersa congregat, aperire dignatus est ianuam cordis sui diu clausam, vt discisso velamine duritiæ suæ, deponitque ferina crudelitate, leni iugo Domini colla summittant. A qua ergo præfatâ Vngarorum gente multis precibus ipse inuitabar venire, aut missos meos in opus Euangelij illuc dirigere. Ad quos dum transmitterem satis idoneos viros ex Monachis Canonicosque Presbyteros, atque de singulis Ecclesiasticis gradibus Clericos & vita omnique conuersatione illorum sic ordinata, quemadmodum in gestis Anglorum didici, tantum diuina gratia fructum statim ministravit, vt ex eisdem nobilioribus Vngaris vtriusque sexus Catholica fide imbutos, atque sacro lauacro ablutos circiter quinque millia CHRISTO lucrarentur. Christiani autem quorum maior pars populi est, qui ex omni parte mundi illuc tracti sunt captiui, quibus nunquam soboles suas licuit nisi furtiue Domino consecrare, modo certatim nullo obstante timore offerunt eos baptizare, & gratulantur omnes tanquam de peregrinatione sua in patriam reducti, quod Christiano more oratoria audent construere, & licentia percepta linguam ligatam in laudem Saluatoris præsumunt soluere. Ipsi enim mira omnipotentis DEI operante clementia quorum licet adhuc gentilitate sint quidam detenti, nullum tamen ex illorum subditis vetant baptizari, nec sacerdotibus inuident, quocumque libet proficisci. Sed ita concordēs sunt pagani cum Christianis, tantamque ad inuicem habent familiaritatem: vt illic videatur Isaia impleri propheta. *Lupus & agnus pascentur simul. Leo & bos comedens paleas.* Factum est ergo, vt penè euncta Vngarorum natio sit prona ad percipiendum fidem sanctam, sed & aliæ Schlauiorum prouinciæ ad credendum promptæ. Et est ibi messis quidem multa, operarij autem pauci. Inde quoque visum est iam necessarium esse, quatenus sanctitas vestra illic iubeat aliquos ordinari Episcopos, quia & quondam Romanorum Gepidarumque tempore proprios VII. antistites eadem Orientalis Pannonia habuit & Messia meæ sanctæ Lauriacensi, cui ego indignus ministro Ecclesiæ subiectos, quorum etiam quatuor vsque dum Vngari regnum Bauariorum inuaserunt, sicut præsentis cognitum est etati in Marauia manserunt. Quod nimium graue ac valde onerosum est mihi, & tot mei Pontificij parrochias solus prædicando circumeam, quibus necessitate & adiutorij inopia cogor nunquam meam subtrahere præsentiam. Ecce Dominorum amatissime huiusmodi Ecclesiasticis mancipatus officiis, detineor, & ne fecissem moram sapè dictæ gentis conuersioni, ire & prosterni ad vestra sanctissima vestigia distuli. Legatos autem meos præsentium scilicet portitores ad vestram destinavi serenitatem, quos audire dignetur quæso clementia vestra, & eorum meisque mixtim precibus præbere assensum, quatenus pallium, insulamque ponti-

pontificalem, quod speciale munus honoris ab hac sede tantum dirigitur Metropolitanis: quod etiam mei prædecessores, à gloriosis huius principalis Cathedralæ Primatibus accipere soliti erant; mihi verò hoc ipsum benigno animo per illos dirigere dignetur, pariterq; etiam priuilegia Apostolicæ authoritatis meæ Ecclesiæ per eosdē missos meos vestris præsentata sacris obtutibus more prædecessorū vestrorum roborari supplico & cōfirmari, vt hac Apostolica sanctione & benedictione munitus, mihi commissi populi gubernationē canonicè exequi valeam, & vestris in die iudicij rationibus imputetur, quod in illis finibus ex paganis noua Ecclesia Domino lucratur. Quondam variæ ac peruersæ hæreticorum sectæ timendæ sunt, quos sæpe contigit deprehendi alios, quibus præfunt errore suo corrumpere, quos agnitione Orthodoxe veritatis debuerant illustrare, vt hæc tam pestifera de me amputetur suspicio, solempne symbolum Catholicæ fidei, quam ipse teneo ac doceo, vestro Apostolatui profitendum salubre censeo.

Confiteor & credo sanctam atque ineffabilem Trinitatem, Patrem & Filium, & Spiritum Sanctum, vnum DEVM naturaliter esse. Vnius substantiæ, vnius naturæ: vnius Maiestatis & virtutis, & Patrem quidem non genitum, non factum, sed ingenitum profiteor, fons ergo & origo ipse est totius Trinitatis. Pater namque ineffabili substantia filium genuit, nec tamen aliud, quam quod ipse est genuit, DEVS DEVM, lux lucem, Filium quoque de substantia Patris sine initio natum ante sæcula, nec tamen factum fateor. Igitur non sicut filius à Patre, ita pater à filio est, quia non pater à filio, sed filius à patre generationem accepit, filius ergo DEVS de patre, pater autem DEVS, sed DEVS non de filio: si enim fuit pater semper habuit filium, cuius pater esset DEVS, & ob hoc filium de patre natum sine initio confiteor. Spiritum enim Sanctum, qui est tertia in Trinitate persona, vnum atque æqualem cum DEO patre & filio credo esse DEVM, vnius substantiæ, vnius quoque naturæ, nec tamen genitum vel creatum, sed à patre, filioque procedentem amborum esse spiritum. Nec enim procedit de patre in filium, nec de filio tantum procedit ad sanctificandam creaturam, sed ab vtrisque procedere monstratur, quia caritas, siue sanctitas amborum esse cognoscitur, & nec patris tantum, nec filij tantum, sed similiter patris & filij spiritus DEI. In relatiuis verò personarum nominibus pater ad filium, filius ad patrem, spiritus Sanctus ad vtrisque refertur. Quæ cum relatiuè tres personæ dicantur, vna tamen natura vel substantia creditur. Nec sicut tres personas, ita tres substantias prædico, sed vnam substantiam, tres autem personas. Quod enim pater est, non ad alium, sed ad filium, & quod filius est, non ad se, sed ad patrem est, similiter spiritus sanctus non ad se, sed ad patrem & filium relatiuè refertur in eo, quod spiritus patris & filij prædicatur. In hac ergo ianctâ Trinitate tres personas vnum DEVM confiteor. Ergo non ipsum qui pater est, dico etiam filium vel spiritum sanctum, nec ipsum filium patrem aut spiritum sanctum fateor, vel eum qui est spiritus sanctus patrem vel filium dicere valeo, sed quod pater est, hoc filium esse, hoc esse spiritum sanctum, sine vlla ambiguitate pronuncio. Personas enim distinguo, non naturam Deitatis separo. Tres ergo illas vnius atque inseparabilis naturæ personas sicut non confundo, ita separabiles nullatenus prædico cum nulla ante aliam, nulla post aliam, nulla sine alia vel extitisse, vel quippiam operasse aliquando credatur, inseparabiles enim inveniuntur in eo quod sunt & in eo quod faciunt. Habet enim pater æternitatem sine natiuitate, filius æternitatem cum natiuitate, spiritus verò sanctus æternitatem processionis à patre & filio sine natiuitate. De his ergo tribus personis sola filij persona hominem

verum

verum sine peccato pro liberatione generis humani ex *MARIA* virgine nouo ordine nouaque natiuitate sumpsit. Nouo ordine, quia inuisibilis in diuinitate, Visibilis monstratur in carne; noua autem natiuitate est genitus, quia incorrupta virginitas & virilem coitum nesciuit, & facunda per Spiritum sanctum carnis materiam ministravit. *DEI* enim filius non personam hominis accepit, sed naturam. Naturam enim nostram in vnitate suae personae assumpsit, & idcirco filius *DEI* & filius hominis vnus est Christus. In eo namque quod filius est *DEI*, aequalis est patri, & in eo quod filius est hominis, minor est patre. Qui etiam ex quo homo est, pro delictis nostris passionem sustinuit, morti que addictus & cruci veram carnem mortem accepit. Tertia quoque die virtute propria suscitatus de sepulchro. Hoc ergo Exemplo capitis nostri in hac carne, qua nunc sum & moueor, resurrecturum me credo. Idem autem Dominus & Saluator noster peracto resurrectionis suae triumpho paternam sedem repetijt, a qua per diuinitatem nunquam recessit. Inde in finem seculorum venturus iudicabit viuos & mortuos, reddetque singulis prout gessit quisque in corpore, siue bonum siue malum. Ecclesiam sane Catholicam pretio sui sanguinis redemptam cum eo credo in perpetuo regnaturam. Credo & confiteor vnum baptisma in remissionem omnium peccatorum. Hanc ergo fidem professionis meae inuiolatam me retinere, & ab ea nunquam deuiare promitto.

Qualiter ergo ex praelibata fide idiotas erudire debeam, & ipse in suscepta nouitiorum Ecclesia conuersari rescripto paternitatis vestrae cautus flagito, vt merear edoceri. Memetipsum enim iterum iterumque sanctitatis vestrae fidei precibusque subnixae commendo. Dignam autem vestrae sublimitatis memoriam, quam tota per orbem frequentat Ecclesia, ego cum omnibus mihi subditis votis & orationibus celebrare non desisto, quidquid etiam humani seruitij, quod vestram deceat magnitudinem, ex me conferri possit, totum & ex toto pro libitu voluntatis vestrae liberaliter expendere, pater dilectissime, satago.

Sequuntur quaedam Diplomata quorum D. Hundius sub Pilgrino Episcopo mentionem facit.

I.

IN nomine sanctae & indiuiduae Trinitatis. Otto diuinam fauente clementia Imperator Augustus. Si de rebus a Deo nobis collatis Ecclesijs Dei quiddam conferimus beneficij, & petitiones seruorum Dei ad effectum perducimus, id nobis & ad temporalem vitam transigendam, & ad aeternam feliciter obtinendam liquidò credimus. Quapropter eomperiat omnium fidelium nostrorum praesentium scilicet & futurorum industria, qualiter vir venerabilis, dilectus ac fidelis noster, Pilgrinus, sanctae Laureacen. ecclesiae Pontifex, serenitatis nostrae magnificentiam adiit, intimando, Antecessorem suum Adalbertum pia recordationis Episcopum quandam partem Theolonei in Patauia ciuitate a beatae memoriae Domino & genitore nostro, Ottone Imperatore Augusto, in beneficium usque ad obitum vitae suae tenere, & ut & ipse, ob restaurationem destructae Ecclesiae sancti Stephani prothomartyris Christi, eandem partem praedicti Thelonij, nostrae largitatis munificentiam, in proprium possideret, omnimodis implorauit. Vnde diuino amore succensi, petitioni illius aurem, pietatis nostrae libenti animo accommodantes, non solum deuotae & assiduae suae seruitutis memores, sed & continuam dilecti & fidelis nostri Wiligisi Archiepiscopi in-

seruens

seruentione commoniti, eundem iam dictum Theoloneum cum tali lege & integritate, quali eum Adalbertus Episcopus in beneficium, & Bruno postmodum Nepos noster in proprium habere videbantur, ad Patauien. Ecclesiam, quæ in honore sancti Stephani prothomartyris Christi est constructa & dedicata, vbi sanctus Valentinus Confessor Christi corpore requiescit, & vbi venerabilis Piligrinus Antistes præesse dinoscitur, iure Imperiali donamus, ita, vt Rectores eiusdem sæpeditæ Ecclesiæ ad restaurationem, & ad recta procuranda, nec non pro luminaribus Ecclesiæ, ac in sustentationem fratrum ibidem Deo famulantium, per cuncta voluentis mundi curricula, absque alicuius contradictione personæ, in proprium teneant atq; possideant. Et vt hæc autoritatis nostræ donatio veriolem & firmiorem à cunctis fidelibus nostris perpetualiter in Christi nomine teneat vigorem, iussimus hanc conscribi, & sigillo nostro sigillatam manu propriâ subtus firmauimus cartham. Signum Domini Imperatoris Ottonis Augusti, Egvvertus Cancellarius ad vicem Willigisi Archicapellani notauit. Datum II. Kal. Augusti. Anno Dominicæ incarnationis DCCCCLXXVI. Indiæ. IV. Anno verò Regni Domini Ottonis Imperatoris Augusti XV. Imperij autem IX. Actum Ratisbonæ. in Christi nomine feliciter, Amen.

II.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuinâ fauente clementiâ Imperator Augustus. Pateat omnium fidelium nostrorum, tam præsentium, quam futurorum industria; Qualiter vir spectabilis, Piligrinus, sanctæ Patauien. Ecclesiæ Præsul venerandus, partibus nostris fauens pro viribus, fide inconcussâ, in perturbatione atque vacillatione Regni Baioariorum, ab aduersariorum perniciosissima persecutione, tam in incendiis quam interfectione familiæ, ac deuastatione non paruâ, Episcopatus sui perpeffus est iacturam, cuius fidem atque constantiam æquum duximus remunerare, & Ecclesiasticæ desolationi, Regiâ munificentia solamen aliquod impendere, vnde etiam eius non solum moti quærelis, sed & allubescentes precibus dilectissimi fratruelis nostri, Ottonis Ducis videlicet Baioariorum atque Willigisi Archiepiscopi, quandam Iuris nostri Abbatiam infra territorium Patauien. sitam ciuitatis, quæ est in honore sanctæ Dei genitricis Mariæ constructa & dedicata, cum Walaflunefeldorf, cæterisque omnibus, id est, cum Ecclesiis & ædificiis, omnibusque decimationibus, cum terris, agris, cultis & incultis, villulis, vineis, campis, pascuis, pratis, syluis, nemoribus, aquis, aquarumque decursibus, molendinis, piscationibus, mancipiis vtriusque sexus, quæ sitis & inquirendis, ex toto & integro, de iure & donat. nostra, eidem Patauien. Ecclesiæ sancti Stephani prothomartyris Christi, per hoc præsens autoritatis nostræ præceptum, pleniter in Christi nomine confirmatum donamus, tradimus, atque transfundimus, eo videlicet tenore, vt ipsa securiter, absque alicuius personæ contradictione atque molestiâ, more hæreditario, perpetualiter in proprium teneat atque possideat. Et vt hæc prædicta fidei & firmitatis remuneratio, auctoritatibusque nostræ donatio, veriolem, firmioremque à cunctis fidelibus nostris perpetualiter habeat vigorem, iussimus hanc cartham conscribi, & sigillo nostro sigillatam manu propriâ subtus firmauimus. Signum Domini Ottonis Imperatoris Augusti. Ekvvertus Cancellarius ad vicem Willigisi Archicapellani notauit. Datum II. Kal. Augusti, Anno Dominicæ incarnationis, DCCCC.

DCCCCLXXVI. Ind. IV. Anno vero Regni Domini Ottonis Imperatoris Augusti XV. Imperij autem IX. Actum Ratisbonæ, in Christi nomine feliciter, Amen.

III.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuinâ fauente clementiâ Imperator Augustus. Constat nos, diuinâ donante gratiâ, cæteris mortalibus supereminere. vnde oportet, vt cuius præcessimus munere, eius studeamus modis omnibus parere voluntati. Quapropter comperiat omnium fidelium nostrorum, præsentium scilicet & futurorum, industria; quia vir venerabilis, Piligrinus sanctæ Patavien. ecclesiæ episcopus, obtulit nobis auctoritates immunitatum piæ recordationis, Imperatorum, Caroli atq; Ludouici, nec non domini & genitoris nostri, Ottonis pijsimi Imperatoris, in quibus continebatur insertum, qualiter ipsi prædictam sedem, quæ est constructa in honore sancti Stephani prothomartyris Christi, vbi etiam beatissimus confessor Christi, Valentinus corpore quiescit, cum pertinentibus Monasterijs, id est, cella sancti Floriani martyris, atq; Treismâ ad monasterium sancti Ypoliti, nec non Chremisâ, quæ est in honore sancti Saluatoris fundata & consecrata, cum reliquis cellulis sibi subiectis, & rebus vel hominibus ad se pertinentibus vel aspicientibus, sub immunitatis suæ defensione consistere fecerant, & confirmauerant, vt quicquid ex liberalitate Regum, Reginarumque, Ducum, vel cæterorum fidelium, eidem sedi collatum fuerat, perpetuò in eius ditione consisteret. ob firmitatis namq; studium petijt excellentiam nostram prædictus præsul, vt morem parentum sequentes, eandem sedem, cum omnibus sibi subiectis, simili modo constitueremus sub defensione, & immunitatis tuitione. Cuius precibus, ob amorem Dei, reuerentiam ipsius sanctæ sedis, assensum præbimus, & hanc nostræ auctoritatis immunitatem, firmitatis gratiâ, erga ipsum sacrum locum fieri decreuimus; per quam præcipimus atq; iubemus, vt sicut à prædictis pijs Principibus constat eandem sedem sub eorum immunitate hætenus consistere, itaque deinceps sub nostra permaneat defensione, & quicquid eidem ecclesiæ retroactis temporibus oblatum fuerat, & modernis conferuntur, vel quæ deinceps collata fuerint, per hanc auctoritatem nostram, absque alicuius contrarietate, teneat atq; possideat; & nullus Iudex publicus, vel quilibet superioris vel inferioris ordinis Reipublicæ procurator, in Monasteria, cellulas, ecclesias, loca, vel agros, seu reliquas possessiones memoratæ ecclesiæ, quas moderno tempore iuste & legaliter possidere videtur, vel quæ deinceps in iure ipsius sancti loci voluerit diuina pietas augere, ad causas iudicario more audiendas, vel freda aut tributa exigenda, aut mansiones vel paratas faciendas, aut fideiussores tollendos, seu homines ipsius ecclesiæ, tam ingenuos quàm & seruos, super terram ipsius commanentes, iniuste distringendos, nec vllas redibitiones, aut illicitas occasiones requirendas, vllò vnquam tempore ingredi audeat, vel ea, quæ memorata sunt, penitus exigere præsumat; sed liceat memorato præsuli, suisq; successoribus, cum omnibus sibi subiectis & rebus vel hominibus ad se aspicientibus sub immunitatis nostræ defensione quieto ordine possidere: Et quicquid de rebus ecclesiæ prædictæ ius Fiscus nostri exigere poterat, totum in luminaribus ipsius ecclesiæ, & stipendijs pauperum, seruorumque Dei ibidem Deo famulantium, concessimus, vt in perpetuum illic proficiat in augmentum, quatenus eiusdem sedis Episcopi, vnâ cum clero & populo sibi commisso, pro nobis, & stabilitate Regni nostri, Domini misericordiam attentius exorare valeant. Et vt hæc immunitas & donationis nostræ auctoritas, plenissimam in Christi no-

Ea voluentis mundi curicula, obtineat stabilitatis firmitudinem, manu propria subter firmauimus, & annuli nostri impressione iussimus insigniri. Signum domini Ottonis inuictissimi Imperatoris Augusti. Egvvertus Cancellarius ad vicem Willigisi Archicapellani, notauit, Dat. II. Kal. Augusti, Anno Dominicæ incarnationis, DCCCC. LXXVI. Ind. IV. Anno verò Regni domini Ottonis, piissimi Imperatoris, XII. Imperij autem IX. Actum Ratisbonæ in Christi nomine feliciter, Amen.

IV.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto Dei fauente clementiâ Imperator, Augustus. Si petitiones seruorum Dei iustas & rationabiles ad effectum perducimus, hoc nobis, procul dubio, ad Regni nostri stabilitatem profuturum, & ad æternæ beatitudinis gaudia capeßenda liquido credimus. Quapropter comperiat omnis sanctæ Dei Ecclesiæ, nostrorumque præsentium felicitet ac futurorum industria; qualiter dilectus fratruelis noster, Otto Dux Alemannorum, & Willigisus Archiepiscopus nostram implorauerunt clementiam, vt quandam Abbatiam, nostri proprij Iuris, sitam in Pataui vrbe, quæ est in honore sanctæ Dei genitricis, ad eiusdem vrbs Episcopalem Ecclesiam, quæ est in honore sancti Stephani prothomartyris Christi constructa & dedicata, vbi sanctus Valentinus corpore requiescit, & Pilgrinus Episcopus præesse dinoscitur, iure perhenni donaremus: quorumigitur petitionibus assensum præbentes, prædictam Abbatiam prædictæ ciuitatis Episcopalem sedem, cum omnibus ad eam pertinentibus, cum cultibus, nemoribus, agris, vineis, pratis, pascuis, aquis, aquarumue decursibus, molendinis, Piscationibus, terris cultis, & incultis, exitibus, & redditibus, mancipijs, vtriusque sexus, & cum omnibus ad eandem Abbatiam iustè aspicientibus, pro remedio animæ, beatæ memoriæ, patris nostri, & stabilitate Regni nostri, Imperiali vigore donamus, ac perpetualiter transfundimus. Et vt hæc nostræ Donation. traditio firma atque stabilis permaneat, hanc chartam confirmationis conscribi iussimus, & sigillo nostro sigillatam manu propria subter firmauimus. Egvvertus Cancellarius, ad vicem Willigisi Archicapellani recognoui. Signum domini Ottonis, inuictissimi Imperatoris Augusti. Anno Dominicæ incarnationis DCCCC LXXX. Ind. regnante inuictissimo Imperatore Augusto Ottone. Actum Ratisbonæ.

V.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuinâ fauente clementiâ Rex. Notum sit cunctis, tam præsentibus quàm & futuris, Christi fidelibus; qualiter Pilgrinus, sanctæ Patauien. Ecclesiæ venerabilis præsul, Episcopatus sui pertinentiam in Orientali plaga Barbarorum limici adiacentem creberri-
mâ eorum deuastatione infestari, nostræ conquestus est pietati; à quibus etiam Barbaris moderno nostri quoque Regni tempore, miserabili lamentatione adiecit, tam irreuerabili se damno læsum in interfectione & direptione Ecclesiæ suæ familiæ, præter innumerabilia depredationum & incendiorum dispendia, vt absque habitatore terra Episcopi solitudine sylustat; cuius perniciosissimâ iacturâ munificentiam nostræ liberalitatis, huiusmodi solari iuuamine, p nostræ eterno precatus est animæ remedio, quatenus videl. ingenui, qui, ex inopiâ seruorū, in locis Ecclesiastici patrimonij cōstituantur coloni, quicquid nostræ publicæ exactioni iudiciariâ præte deberent, ad pristinæ restaurat: culturæ
Hh
suis

fuis largiremur vsibus. His igitur moti querelis, militumq; interuentionibus allubefcentes, suspiciendæ reuerentiæ Theophaniæ domine matris nostræ semper Augustæ, amborumq; Nepotum nostrorum, Henricorum, Ducum scilicet Batariæ ac Carinthiæ Regionum, postulata eo tenore concessimus, vt liberi, cuiuscunq; conditionis sint, qui destinantur coloni in locis pertinentibus ad sanctæ Patavien. Ecclesiæ præsulatum in honore beati Stephani prothomartyris Christi constructum & dedicatum, vbi sanctus Valentinus & Maximilianus confessores Christi corpore requiescunt, sitis in Marka hæctenus Luitvaldi Comitis, à nostrorum Ministerialium deinceps sint districtione absoluti; & quicquid noster publicus Fiscus ab illis exigere vel percipere poterit, hoc totum in cunctis Aduocato præfatæ Ecclesiæ Patavien. exigendum & percipiendum ad iam dictam Pontificis Piligrini successorumque suorum utilitatem perpetim condonamus; nec pro vlla alia occasione aut vadium solvere, aut ad comitatum ire à Marchione, vel aliquâ Iudiciariæ potestatis personâ, conentur, nisi eâ lege vel Iure, quo Ecclesiastici serui, ab extraneorum pulsati reclamationibus, pro satisfaciendâ iustitiâ, ad placitum ire compellantur. Et vt hæc auctoritas nostra præsentibus futurisque temporibus, Domino protegente, valeat inconuulsa manere, manu propriâ subter signauimus, annulique nostri impressione signari iussimus. Signum Domini Ottonis, gloriosissimi Regis. Hildvvaldus Episcopus, ad vicem Willigisi Archicapellani recognoui. Dat. pridie Kal. Octobris, Anno dominicæ incarnationis DCCCC, LXXXV, Ind. XIII. Anno autem tertii Ottonis regnantis II. Actum Babenbergæ in Dei nomine feliciter, Amen.

11. *Privilegia ab Ottone III. Episcopo Christiano & Ecclesiæ Passaviensi concessa, à D. Hundio insinuata, sequuntur.*

I.

Regim
manus. IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuinâ fauente clementia Imp. Augustus. Quia respicit ad Regum ius prodiuino amore Ecclesiæ Dei exaltare & confirmare, ideo omnibus fidelibus nostris, præsentibus scilicet & futuris notum esse volumus, quomodo vir venerabilis Christianus Pataviensis Ecclesiæ Episcopus ad nos venit rogans & petens, vt omnia à Regibus vel Imperatoribus aut ab aliis viris religiosis aut fœminis eidem Ecclesiæ tradita nostræ auctoritatis donatione confirmaremus, sicut antecessores nostri Reges & Imperatores fecerunt.

Eius iustæ petitioni pro animæ nostræ remedio pium assensum præbentes, omnes curtes, Abbatias, Ecclesias, vicos & villas, & alia præsidia cum suis pertinentijs ab aliquibus personis maioribus, & minoribus pro mercede æternæ retributionis præfatæ Ecclesiæ traditas, ac nostræ præceptionis autoritate nouiter eidem Ecclesiæ donauimus & confirmauimus, & insuper nominatim Abbatie quæ dicitur Chrembsmynster, cum omnibus suis pertinentijs, curtibus, vicis & villis, Ecclesijs & alijs vtensibilibus illuc ritè pertinentibus mancipijs vtriusque sexus, areis, ædificijs, terris, cultis & incultis, agris, pratis, campis, pascuis, syluis, & venationibus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, vijs & inuis, exitibus & redditibus, quæ sitis & inquirendis, cunctisque alijs appendicijs quæ dici possunt. Capellam quoq; Ottinga nominatam, cum omnibus rebus ritè aspicientibus, MATHASE ABBATIAM & cur-

& eurtim Rinte cum alijs eurtibus & pertinentijs qua alio modo nominari possunt, similiter nostræ autoritatis donatio hoc nouo ad iam dictam sanctam Pataviensem Ecclesiam sub sua prouisorumque eius potestate perpetualiter habenda corroboramus. Et vt hæc nostræ donationis confirmatio præsentis ac futuro tempore firma consistat, hoc præceptum inde conscriptum nostroq; sigillo signatum manu propria corroborauimus.

Signum Domini Ottonis gloriosissimi Regis, Hildebaldu Episcopus & Cancellarius vice Willigisi Archiepiscopi recog. Datum VI. Kal. Febr. Anno domini incarnat. DCCCCXCIII. Indiæ. VI. anno autem III. Ottonis regnantis X. Actum Trorunnamne.

II.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuinâ fauente clementiâ Rex. Notum sit omnibus nostris fidelibus præsentibus scilicet & futuris, quomodo nos, diuini amoris instinctu, & fidelis nostri Christiani Pataviensis Ecclesiæ memorabilis Episcopi rogatu, quæ semper non paruam molestiam perpessa est, debitam inde exigentibus seruitutem, eidem Ecclesiæ, cui ipse iam diutius pontifex Christianus modo honorabiliter præsidet, suisque successoribus, hæc nostræ auctoritatis donatione concedimus, vt nullus dehinc Dux, vel alia quælibet potens persona, de eadem Ecclesia, vel locis illuc pertinentibus, steuram aliquo modo exigat debitam, aut coactam tollere præsumat, sed ipsa sub immunitatis nostræ Regia defensione ab omni Ducum, aliarumue potentium personarum coacto seruitio perpetualiter immunis consistat, excepto, quod Regio honori, vel Imperatoriæ dignitati præfens prouisor præfate Ecclesiæ, sui que successores, charitaticia mente iusteque impendere debet. Si quis vero huius nostræ donationis præcepti violator extiterit, sciat se quasi transgressorem Regiæ mentis & gratiæ iure redargui, & detrimentum pati. Et vt hæc nostræ Donationis concessio præsentis & futuro tempore inuolabilis permaneat, hanc nostræ celsitudinis chartam inde conscripam sigilli nostri impressione signare iussimus, manuq; propriâ, vt infra videtur, corroborauimus. Signum Domini Ottonis gloriosissimi Regis. Hildebaldu Episcopus & Cancellarius, ad vicem Willigisi Archiepiscopi recognoi. Dat. VIII. idus Febr. Anno dominice incarnat. DCCCCXCIII. ind. VI. anno autem domini Ottonis Regnant. X. Actum Diaspurgo feliciter Amca.

III.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Otto diuinâ fauente clementiâ Romanorum Imperator Augustus. Si locis diuino cultui mancipatis alicuius honoris & proprietariæ roborationis augmentum præbere studuerimus, diuinitus nobis remunerari procul dubio credimus. Quapropter omnium sanctæ Dei Ecclesiæ fidelium nostrorumq; præsentium & futurorum nouerit vniuersitas, qualiter nos, ob remedium animæ nostræ, parentumq; nostrorum, & propter strenuam petitionem Henrici Ducis, nostri fidelis; immo Christiani sanctæ Pataviensis Ecclesiæ venerabilis Episcopi, eidem sacrosanctæ sedi in honore sacratissimi prothomartyris Christi Stephani consecratæ; concessimus atque largiti sumus eiusdem Ciuitatis mercatum, monetam, bannum, Theoloneum, & totius publicæ rei districtum, tali tenore, vt prædictus præsul Christianus, sui que successores, omnem publicam rem, hætenus no-

Hh 2

bis

bis in eadem ciuitate Patau. pertinenti habeat, & firmiter Intra Ciuitatem & extra, perpetualiter teneat, sine omnium hominum contradictione. Et vt hæc pro donatio firma sit, hanc paginam manu propria corroborantes, Sigilli nostri plumbeâ impressione iussimus insigniri. Signum Domini Ottonis, Imperatoris Augustissimi. Heribertus Cancellarius, vice Willigisi Archiepiscopi recognouit. Data III. Non. Ian. An. dominicæ incarnationis DCCCCLXXXIX. indict. XIII. anno Ottonis tertij regnantis. XV. Imperij. III. Actum Romæ feliciter, Amen.

m. m. Vide Chronicon Episcoporum Patauen. vbi latè de his & similibus: velim tamen lectorem admonitum, non satis bene distingui tempora; Arnolphos item Patrem & filium confundi.

De Berengero Episcopo in M. M. SS. Annalibus Episcoporum Patauen. in membrana quos annales Dn. Hundium non vidisse, aut saltem non eosdem fuisse, quorum & mentionem facit supra pag. 286. haud improbabile est, subsequentiâ leguntur: BERENGERRVS sedit Patauæ annis XXXIII. Similiter sine pallio: hic obtinuit privilegium super decimis omnibus in Orientali prouincia situatis, in Septentrionali parte fluminis Danubij, ab Imperatore Conrado, successore Henrici sancti, anno eius secundo, Dominicæ incarnationis MXXV. subscripto Vdalrico Cancellario vice Aribonis Archicancellarij. Actum Triburiz. Similiter in Comitatu Alberti Marchionis, in omnibus locis constructis & construendis, de omnibus, à quibus decima debet persolui, vt ipse, & sui successores super his liberam ordinandi facultatem habeant. Ipse Berengerus ab Henrico II. obtinuit quoddam prædium in Comitatu Henrici Marchionis, & locum ad construendam Ecclesiam in Herzogburgk, vbi presbyter mansionem facere possit, & vnum regalem mansum in Krembsa & Sigemare, Werd, & Tubra extra ciuitatem & Vomesseuz, in singulis locis regales mansos, & in vno quoque locum ædificandi Ecclesiam opportunam, & de vicino ad construendas mansiones pro presbytero. In Krembsa autem quia aratum prædium non habetur, vbicumque in proximo de proprietate regis inuenitur, pro supplemento ascriptum conceditur. Sed iuxta dicta incidit grauis quæstio, quomodo isti & sequentes Episcopi obtinuerunt per Privilegia, quæ aliàs Sanctæ Laureacensi Ecclesiæ per sanctos Imperatores Philippos sibi in proprietatem Ecclesiæ donata fuere? iuxta superius dicta. Cur ergò, quæta patriâ, post Hungarorum conuersionem Episcopi, qui Laureacensi titulo gloriabantur, à Deo deuotis Imperatoribus, vt Arnulpho, & eius filio Ludouico, & præcipuè ab Ottone primo, & sequentibus Ecclesiæ suæ propria & similiter Patuensi Ecclesiæ sibi restitui iniuste ablata non postularunt? Horum neglectum etsi quidam desidia & stoliditati Pontificum videntur ad scribere, quod videlicet huiusmodi detentatores quæta patriâ non postularunt à suis possessionibus remoueri &c.

Sequitur Diploma Imp. Henrici III. super quibusdam possessionibus circa Risenperch, & inter flumina Lithaba & Fischa deorsum, cuidam Reginoldo concessis.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuinâ fauente clementia Rex. Notum sit omnium Dei nostrorumq; fidelium solerti industria, qualiter nos fidei nostro Reginoldo, ob ipsius nobis gratum & fidele seruitium, dimi-

dimidietatem Rifenperg, & insuper tamen inter flumina Lithaha & Fischaha, scilicet deorsum iuxta littus Fischaha, donec decem Regales mansos habeat, de nostro iure & dominio in eius dominium Regali nostra munificentia transfundimus, & ubi sibi mensurare precepimus, cum omnibus suis appendiciis, hoc est, areis, edificis, terris, campis, agris, cultis & incultis, vineis, pratis, piscuis, aquis, aquarumve decursibus, molis, molendinis, piscationibus, sylvis, venationibus, exitibus & redditibus, viis & inuis, quæstus & inquirendis, cum omni utilitate, quæ villo modo inde poterit provenire, sitis in comitatu Sigifridi Marchionis, ea videlicet ratione, ut prædictus Reginoldus de præfato prædio liberam de hinc potestatem habeat obtinendi, tradendi, commutandi, precariandi, vel quidquid sibi placuerit inde faciendi. Et ut hæc nostræ traditionis auctoritas stabilis & inconuulsa per succedentium momenta temporum maneat, hæc cartam inde conscriptam, manu propria, ut infra videtur, corroborantes, sigilli nostri impressione iussimus signari. Signum domini Henrici tertij Regis inuictissimi. Theodoricus Cancellarius vice Warthonis Archicancellarij recognoui. Dat. II. Non. Iun. anno dominicæ incarnationis MXLV. indict. XIII. anno autem Henrici tertij, ordinationis eius XIII. Regni vero eius sexto. Actum Perfinich.

Errat Bruschius cum Itz. fluuiolum Bobemicum vocitat: ad Nariscos enim pertinet, apud quos, cis Boëmia saltum oritur prius Ochar dictus, post Illsus, item & Illsus: à septentrione. ut Appianus obseruauit, directè meridiem petens. Passauij vrbe Episcopali Danubio sese coniungit; neq; tamen, ut Regenus, aquas suas cum Danubij permiscet, sed atrum suum colorem ad ripam Septentrionalem diu longèq; retinet.

Sequuntur Priuilegia Engelberto Episcopo ab utroque Imp. Henrico III. & IV. concessa.

I.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus diuinâ fauente clementia Romanorū Imperator Augustus. Nouerint quicunq; Christi nostriq; fideles, tam futuri quam præsentis, qualiter nos ob interuentum nostri thori ac Regni confortis, scilicet Agnetis Imperatricis Augustæ, nec non ob petitionem & deuotum famulatum nostri fidelis & dilecti Engilberti Parauien. Ecclesiæ episcopi, ex nostrâ imperiali auctoritate prænominato Episcopo tradidimus atq; concessimus ius & potestatem legitimi banni super venatione & foresta in prædicto S. Stephani prothomartyris, eiusdem Episcopi patroni, videlicet, in comitatu Adalberti Marchionis, & intra geminas fluminum Sabinichi & Darbinichi ripas sito, ea videlicet cõditione, vt nemo, absq; licentiâ & voluntate præfati Episcopi, successorumq; suorū, infra prædictos eiusdem foresti terminos, banni conclusionem vetitos, præsumat venari, aut aliquod genus ferarum, quod in forestarum iure banni interdicitur, lege qualibet, venatoria industriâ capere vel decipere. Et ut hæc nostra Imperialis traditio atque concessio eiusdem banni, quod donauimus in potestatem Egilberti Episcopi, apud ipsum, successoresque suos prædictæ Parauien. Ecclesiæ futuros Episcopos, stabilis & inconuulsa perhenerit maneat, hoc præceptum inde conscriptum manu propria corroborantes sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Signum Domini Henrici tertij Regis inuictissimi II. Romanorum Imperatoris Augusti, Wintherius Cancellarius, vice Wardonis Archicancellarij recognoui. Data XVI. Kal. Iulij, Anno Dominicæ incarnat. M. XLIX. ind. secundâ. Anno autem Domini

Hh 3

Hein-

Heinrici tertij regnantis Imperatoris II. ordinationis eius vicesimo primo, Regni quidem vndecimo, Imperij autem tertio. In nomine Domini Actum Geminide feliciter. Amen.

II.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Hainricus diuinâ fauente clementia Romanorum Imperator Augustus. Res Ecclesiasticas & seruorum Dei petitiones releuari iuuamine atque imperiali munimine tueri ad animæ nostræ remedia & ad Imperij, quod administramus, profuturum esse credimus gubernacula. Quare fidelium nostrorum præsentium scilicet ac futurorum non ignoret industria, Egilbertum sanctæ Patauiensis Ecclesiæ Episcopum venerabilem Episcopij sui traditiones aliquot nostræ celsitudini obtulisse, obsecrantem, vt ex his nobis innotesceret, quod regum aut Imperatorum munificentia Ecclesiæ petitioni non solum fidelis seruitij sui assiduitate commomiti, sed & conthoralis nostræ Agnetis Imperatricis Augustæ precibus sollicitati piuum assensum præbuimus, & curtes, Ecclesias, villas, & omnia prædia cum suis pertinentiis à Regibus vel Imperatoribus, aut ab aliis religiosis viris vel faminis sanctæ Patauiensi Ecclesiæ tradita. Insuper etiam specialiter Abbatis Chremisa Münstre, MATISEO cum prædio nomine Hunisperch, capellam Ottingam, & curtim Rvvre, & villam Aufenhufen, quemadmodum eandem Adalbertus eiusdem sanctæ Patauiensis Ecclesiæ Episcopus pro Anesiburch sanctæ Laureacensi Ecclesiæ prædio, vbi quondam Episcopus fore sedem noiuimus, ab Heinrico Duce Bavvariorum iuste & legaliter in concambium accepit atque possedit, & in Osterrichi in loco qui dicitur Kirchpach territorium quoddam, quæ ad radices Comageni montis sita est, & in eodem monte mansos C. faciendos & plus cum omnibus ad eam pertinentibus mancipiis vtriusq; sexus, Ecclesiis, villis, areis, cultis, & incultis, agris, pratis, campis, pascuis, syluis, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molendinis, viis & inuis, exitibus & redditibus, quasitis & inquirendis, cunctisque aliis appendiciis quæ dici possunt, donatio hoc nouo præfata Ecclesiæ sancti Stephani Prothomartyris Christi, in qua & sanctus Valentinus Confessor Christi corporaliter requiescit, prouisorumque eius potestati æternaliter possidenda imperiali nostra autoritate donamus, corroboramus atque confirmamus. Et vt hæc nostra Imperialis confirmatio stabilis & inconuulsa permaneat æuo, hanc paginam inde conscribi, manuque propriâ, vt subtrus videtur corroborari, sigilli nostri impressione iussimus insigniri.

Signum Domini Heinrici tertij regis inuictissimi, secundi Romanorum Imperatoris Augusti Winchertus Cancellarius in vice Levvoldi Archicancellarij & Archiepiscopi recog: Datum XIII. Kal. Augusti. Anno Domini Hainrici tertij regis, secundi Imperatoris, ordinationis eius XXIV. regni verò XIII. Imperij VI. Actum Barovve in nomine domini feliciter Amen.

III.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Hainricus diuina fauente clementia Rex. Res Ecclesiasticas & seruorum Dei petitiones nostro releuari iuuamine atque regali munimine tueri ad animæ nostræ remedia, & ad Imperij, quod administramus, profuturum esse credimus gubernacula. Quare fidelium nostrorum præsentium scilicet ac futurorum non ignoret industria Engilbertum

bertum sanctæ Pataviensis Ecclesiæ Episcopum venerabilem Episcopij sui traditiones aliquot nostræ celsitudini obtulisse, obsecrantem, ut ex his nobis innotesceret quod regum & Imperatorum magnificentia Ecclesiæ contulisset suæ & idem renouationis nostræ autoritas roboraret; Cuius nos iustæ petitioni non solum fidelis seruitij sui assiduitate commoiti, sed & dilecti nostri magistri Annonis Coloniensis Archiepiscopi cæterorumque fidelium nostrorum precibus sollicitati pium assensum præbuimus, & curtas, Ecclesias, villas, & omnia prædia cū suis pertinentiis à regibus vel Imperatoribus, aut ab aliis religiosi viris vel feminis sanctæ Pataviensis Ecclesiæ tradita. Insuper etiam specialiter Abbacias Chrembsmünster, MATESEO cum prædio nomine Huni-
sperg, capellam Ottingam, & curtam Rvute, & villam Vffchusen quemadmodum eandem Adalbertus eiusdem sanctæ Ecclesiæ Pataviensis Episcopus pro Anesburg sanctæ Laureacensi Ecclesiæ iustè & legaliter in concambium accepit & possedit, & in Osterliche in loco qui Kirchpach territorium quoddam cum Ecclesia, quæ ad radices Comageni, prædia quædam in Comitatu Ernesti Marchionis sita Govvozbrunnem & Paumgarten ac Chrubat dicta, quæ dilectus noster genitor piæ memoriæ Henricus Imperator Augustus eidem Pataviensi Ecclesiæ, Imperiali autoritate tradidit, cum omnibus ad eadem pertinentibus, hoc est, vtriusque lexis mancipiis, Ecclesiis, villis, arcis, cultis, & incultis, agris, pratis, campis, piscuis, syluis, venationibus, aquis, aquarumque decursibus, piscationibus, molis, molendinis, viis & iniuis, exitibus & redditibus, quasitis & inquirendis, cunctisque aliis appendiciis, quæ dici non possunt, donatio hoc nouo sanctæ sancti Stephani Protomartyris Christi, in qua & sanctus Valentinus Confessor, corporaliter requiescit, prouisorumque eius potestati, & æternaliter possidenda regali nostra autoritate donamus, corroboramus atque confirmamus. Et ut hæc nostra confirmatio stabilis & inconuulsa omni permaneat æuo, hanc chartam inde conscribi, manuque propria, ut subtus ceratur, corroboranimus, sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Signum Domini Henrici quarti regis; Fridericus Cancellarius vice Sigefridi recog. Datum VIII. Kal. Nouembr. Anno Domini: Incarnationis M. LXXIII. Indiæ. II. Anno autem ordinationis domini Henrici quarti regis IX. regni verò VII. Actum Ratisponæ in Dei nomine Amen.

Altmannum hunc Paulus Bernrieden. in vita Gregorij VII. Pont. Max. (pag. 73.) commemorat, contra Simoniacos veritatis assertorem intra Germaniæ Episcopos, his verbis: , Habent etiam complures ex vltimontanis partibus, Vdo Treuirensis, & Hermannus Metensis, Altmannus Pataviensis vel Lauriacensis, Adclbero Wirzburgen. Hugo Diensis &c.

Epistola Gregorij VII. ad Altmannum sic habet.

Gregorius Episcopus seruus seruorum Dei, dilecto in Christo fratri A. . . *Almanno* Pataviensi Episcopo, salutem & Apostolicam benedictionem. Quia vicem nostram in Teutonicis partibus prudentiæ tuæ commisimus, discretionem tuam diligenter monemus, sicut iam aliis literis ad te destinatis (si peruenerint) fecimus, ut consilio fratris nostri Salsburgensis Archiepiscopi, & aliorum confratrum nostrorum Episcoporum eos quos adhaerendo H. . . à proposito veritatis errasse cognoscitis, studiosè reuocetis: & qui redire voluerint, fraternè suscipiatis, & maxime Osnaburgensem Episcopum, quem nobis velle fideliter adherere audiuius, benignè suscipiatis, & fraterno auxilio contra quã-

libet iniuriam inferendam ei occurrere vbi opportunum fuerit, non hæsitetis, & litem quam de decimatione Ecclesiæ suæ habet cum Corbegenſe abbate, vel iuste antè vos terminare, aut absq; latione suæ Ecclesiæ certum tempus ipsius ante nos terminandæ ex vtraq; parte statuite vale.

Diploma Henrici IV. Almanno Episcopo concessum.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Hainricus diuina fauente clementia Rex. Sanctæ Dei Ecclesiæ profectui tantò diligentius providere debemus, quantò excellentius ex dominico munere sublati sumus. Quapropter omnibus Christi nostrisque fidelibus tam presentibus quam futuris notum esse volumus, qualiter nos pro amore diuino animæque patris nostri remedio, Pataviensi Ecclesiæ in honore S. Stephani constructæ & consecratæ, ob interuentum ac petitionem matris nostræ Agnetis Imperatricis Augustæ, instinctu quoque Berthæ reginæ, regni thoriq; nostri consortis, dilectissimi etiam Gebhardi Saltsburgensis Archipræsulis, & Eppanis Neuburgensis Episcopi, nec non ob fidele meritum Almanni præfatæ sedis antistitis, villam quandam Tyelsfurt dictam, & transitum ipsius fluminis quod dicitur Maracha, & infra hæc loca, Paumgartn, Stupherich, Modzulla, quod est prædium Arnesti Marchionis, quinquaginta regales mansos, in pago Austriæ, in marchia Arnesti marchionis sitas, cum omnibus appendicijs suis, hoc est, vtriusque sexus mancipijs, vineis, agris, pratis, pascuis, campis, siluis, venationibus, forestis, forestarijs, arcis, ædificijs, Ecclesijs, terris, piscationibus, exitibus, & redditibus, vijs & inuijs, mercatis, telonijs, monetis, quæstis & inquirendis, omnique vtilitate in proprium dedimus, confirmauimus, iure perpetuo obtinendum concessimus, ea ratione, vt nullus successorum meorum Imperator siue rex, dux, marchio, comes, aut alia maior aut minor persona iudicialis, præfatæ Ecclesiæ bona prænominata auferre aut alienare præsumat, & vilo modo inquietare. Sed prænominatus Almannus Episcopus, eiusdemque successores, liberam inde habeant potestatem tenendi, precariandi, commutandi, vel quidquid ad vtilitatem eiusdem Ecclesiæ voluerint, faciendi. Et vt hæc regalis traditio nostra stabilis & inconuulsa permaneat omni æuo, hanc chartam conscribi, manuque propria corroborans sigilli nostri impressione iussimus insigniri. Signum domini Henrici quarti regis. Sigehardus Cancellarius, vice Godefridi vicecancellarij recognoui. Datum secundo nonas Martij. Anno Domini M L X V I I, indictione prima: anno autem ordinationis domini Henrici quarti regis decimo quinto, regni verò vndecimo. Actum Ratisbonæ in Dei nomine feliciter.

In alio Catalogo Pataviens. Episcoporum. Tricesimus septimus numeratur hic Almannus eiusq; vita sic descripta legitur.

Almannus Westphalus ex Saxonia claris parentibus editus, & vt in perueteri Chronica habetur, vltimus ex celebri ac perueteri Putinensium Ducum (qui in Austria quidem vixerunt, sed in Saxoniæ & Westphaliæ principum aulis seruierunt) genere, diuinis ac secularibus literis apprime eruditus, & apud Paderbornen. Episcopatum in Westphalia canonicus fuit, & Scholasticus. Deinde Aquisgrani Canonicus & Præpositus. Addunt etiam aliqui Coloniae Canonicum & præpositum fuisse, quo tempore etiam in palatio Henrici tertij Capellanus Cæsarum claruit. Quo defuncto Almannus Imperatrici Agneti fidei adhæsit obsequio, cum qua Pataviam venit, eo tempore, quo Egil-

Egilbertus Episcopatus infulam tenuit. Cæterum cum an. Dom. 1065. multi nobiles transfretarent in terram sanctam vulgari opinione deterriti, quasi di-
 es instaret iudicij, eò quod Pascha illo anno euenisset sexto Calend. April. quo
 scribitur Resurrectio Christi. Almannus pariter ex loco Regiæ cum mul-
 tis de palatio viris honoratis Sigefrido Archiepiscopo Moguntino, & Cunthe-
 ro Wirzburgenfi Episcopo comitem itineris & laboris socium sese coniunxit. *(forte Cun-
 thero.)*
 Qui dum persolutis in Hierusalem votis in patriam redirent, contigit vt Egil-
 bertus Pataviens. Episcopus defungeretur atque in cœlesti gloria beatis pro di-
 gnis meritis coniungeretur. Post cuius mortem Agaes Regina regniq̄e opti-
 mates consilium ineunt, ac omnes Almannum in locum defuncti Episcopi
 eligunt, Clerus collaudat, omnis populus clamat Almannum Episcopali di-
 gnissimum honore, quem doctrina & bonitate scirent plenum. Mox mit-
 tuntur obuiam viri clari in Pannoniam, qui virgam pastorem & annulum
 sponsalem electo deferant, eumq̄e decenti honore ad sedem Pataviens. de-
 ducant. Vbi bene exceptus à Gebhardo Salzburgenfi Archiepiscopo conse-
 cratur, suo olim in Gymnasio Parisiensi condiscipulo, vbi non hunc tantum
 Gebhardum, genere comitem ab Helfenstein, sed & Adalberonem comitem
 Lambacensem contubernalem habuit. De quibus legitur. Qui quum ali-
 quando Parisiis simul coniuati hilarius, & collocuti liberius essent, inter va-
 rios alios vltro citroq̄e habitos sermones, alius alij fortunas prædicentes,
 mira quædam vaticinati sunt, ita nimirum hunc isti, alium alij Episcopatu
 ali-
 quando præficiendum esse. Et hunc hoc loco, alium alio Monasterium ere-
 cturum fore, additis pollicitationibus se tunc quoque, si fors ita ferat, singu-
 lari beneuolentia velle esse coniunctos inuicem. Vtq̄e hæc omnia, in eo
 conuiuio per iocum dicta sunt obiter, ita eodem quoque euentu postea habue-
 runt. Nam Episcopi designati sunt omnes, Gebhardus Salzburgi, Adalbe-
 ro Wirzburgi, Almannus Pataviæ, sed & Monasteria construxerunt singuli, &
 vnusquisque in Monasterio à se constructo, liberalissimè donato, sepultus
 est, Gebhardus in Admontensi, quod in Stiria Ferium montem ad Anasum
 fluuium situm est. Adalbero in Lambacensi apud Austrios supra Anasianos,
 Almannus in Gothevicensi apud Austrios infra Anasianos, vterque exul, &
 ex Episcopatu suo per Henricum 4. deiectus, vt infortunia etiam haberent,
 quemadmodum fortunas communes. Erat Episcopus admodum religio-
 sus, Deumq̄e timens plurimum. Vnde munificum habuit benefactorem
 Imp. Henricum 4. à quo tale priuilegium, & insignia quædam bona in eodem
 diplomate nominata impetrauit.

*Diploma hic inseritur, quod habetur supra
 Sequuntur cætera in Chronico, de Almanno.*

Porro Almannus, vt Ecclesiam Dei plantaret, in primis in suburbio Pa-
 tauensi Monasterium in honore S. Nicolai super ripam Oeni fluminis consti-
 tuit, quod multis prædijs & Vineis dotauit, eiq̄e loco præfecit Hartmannum
 Præpositum, virum omni sapientia præditum, vt collegium, vitam sub regula
 B. Augustini exigentem ibi colligeret. De hinc ad alia Monasteria reforman-
 da animum intendit. In Norico ripensi Monasterium erat S. Floriani, in quo
 erant Clerici coniugijs & lucris secularibus intenti, negligentes seruitium Dei,
 Hoc Episcopi prouidentia inde eliminauit, religiosas personas ad seruiendum
 Deo ibi constituens. Ipse locus fertur quondam à monachis inhabitatus, sed
 ab Hungaris destructus, denuò ab Egilberto Episcopo Almanni prædecessore
 repa-

reparatus & Clēticis mancipatus. In monasterio S. Hypolitierant clerici ebrietati, voracitati, libidini, & vsuris impliciti, quos Episcopus Altmannus Canonica censura de loco expulit, & religiosos viros pro eis restituit. Quibus præfecit Engilbertum præpositum virum prudentem & facundum. Atqui Clerici expulsi, ægreferentes expulsionis suæ opprobrium, sumptis armis audacter ingressi sunt Monasterium, fugatis omnibus, cellarium fregerunt, & vinum in terram effuderunt. Quod facinus statim ultio diuina secuta est. Nam omnes in amentiam versi, auia deserti petierunt. Præterea S. Agapiti monasterium quod Krembsmunster dicitur à magna infamia liberauit Episcopus. Nam Monachos irregulariter viuentes, & bona monasterij luxu dissipantes eiecit, & venerabilem virum Theodoricum abbatem cum fratribus sub regula S. Benedicti viuentibus loco præfecit, & vt haberent reformandi exemplum vitæ regularis, ille ipse Altmannus in monte Gothovic monasterium B. Mariæ ord. Canon. S. August. erexit anno Christi 829. præfuit verò non Laureacensis tantum Archiepiscopus, Patauiensisque Præsul, vt antecessores, sed & totius Hunnorum & Morauorum prouinciæ, Pannoniæ ac Mœsiæ Pontifex Max. anno vno, mensibus tribus, temporibus nimirum Eugenij secundi, qui refert eum, ad beatorum Petri & Pauli Apostolorum limina religionis & iuris sui vindicandi ergò accessisse, eumque in Epistola quadam (cuius verba aliqua apponere libuit) populis ad Christianismum nuper conuersis, quibus idem Vrolphus tanquam legatus Apostolicus concionabatur tunc temporis, præclare commendat. Eugenius Episcopus seruus seruorum Dei Radfredo Fauianensis. i. Wien, Methodio Speculunensis & Annoni Veturariensis Ecclesiæ Episcopis simul, & Tutundo, nec non & Mimaro Ducibus & optimatibus vniuersisque exercitibus plebis Hunniæ & Morauia salutem, & apostolicam benedictionem. Vrolphum reuerendissimum S. Laurencis Ecclesiæ Episcopum sanctissimum fratrem nostrum, ab hac sancta Ecclesia vobis eum rectorem transmisimus, atque in præfatis regionibus Hunniæ (quæ & Auaria appellatur) sed & Morauia, prouinciarumque Pannoniæ & Mœsiæ apostolicam vicem nostram, Diocesim, atque ius Ecclesiasticum exercendi committimus, cuius dilectioni ad honorem suum nostram apostolicam vicem & auctoritatem insuper accumulamus, quod nunquam suis præmissum est prioribus. Quatenus & vos confratres & Episcopi deinceps reuerentiam ei ampliore exhibere sciatis. Atque vos Laici primates & vulgus saluberrimis præceptis suis, non velut homini, sed tanquam Deo humiliter obtemperetis, &c.

pp. *Chronic. Richersberg. Anno MCXLIX.* Dominus Chuonradus frater regis Chuonradi Episcopus Patauiæ constituitur, post Reginbertum Episcopum, qui in expeditione Hierosolymitana in finibus Græciæ obierat. Deinde. (vt idē Chronicon An. MCLXIV. refert.) in locum sanctæ memoriæ Eberhardi Salzbürgensis Archiepiscopi successit Chuonradus hic, ab omni clero & populo vnanimiter electus cum gaudio omnium, ea cautione, vt cum Alexandro staret, sicut prædecessor suus. Qui statim in mense Septembri ad Imperatorem fratrualem suum pro regalibus ab eo suscipiendis Papiam profectus est, cum prosecutione literarum Episcoporum suffraganeorum. Quò perueniens cum benignè ab Imperatore susceptus esset, post multa, quæ ibi ab Imperatore in secreto & in publico dicta sunt, quæ & scripto comprehensa sunt à Præposito Richerspergensis, qui cum Episcopo venerat illuc, qualiter scilicet eū Imperator ad habendū Papā Paschalē prouocauerit, quem ipse tanquā Catholicū Catholici successorē modis omnibus comendabat, seque effecturū in breui, vt omnes eū reciperent.

perent, minabatur: Sed electus Episcopus ad partem illam nullo modo flecti poterat. Tandem sine regalibus, cum gratia tamen & pace ab Imperatore dimissus est.

Fridericus I. Imperator qualia huic Episcopo Conrado & Ecclesie Patavien. contulerit Privilegia, ex subsequentibus videre est.

I.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & filij, & spiritus sancti, Fridericus diuina fauente clementia, Romanorum Imperator Augustus. Si iustis fidelium nostrorum petitionibus benignè annuimus, & facilem præbemus assensum, vt pia deuotio celerem sortiatur effectum, Antecessorum nostrorum Regum, & Imperatorum vestigia imitamur: nam inclinari precibus nostra Imperialis dignitas consuevit, & vniuersa in Imperio nostro ordinabilius reguntur & gubernantur, si cum virgâ æquitatis & iustitiæ principalis clementia comes adiungatur. Ratio igitur exigit, & Imperiali videtur congruere honori, vt fidelium nostrorum dignas petitiones clementer admittamus, illorum præcipuè, quorum fides præclaris operibus magis est approbata, quorum etiam desiderium circa honorem coronæ nostræ stabili constantiâ amplius feruere dinoscimus. Ea propter vniuersorum Imperij nostri fidelium tam futura, quàm præsens nouerit atas; qualiter nos, pio ac sedulo rogatu dilectissimi Patru nostri Conradi, venerabilis Patau. Ecclesie Episcopi, & principum interuentu & consilio, Abbatiam sanctæ Mariæ in Patauiâ cum omni integritate & honore, quo ad nos & Imperium spectare cognoscitur, aduocata excepta, videlicet cum omnibus possessionibus, intus & exterius, cum ministerialibus, seruis, & ancillis, villis, cultis & incultis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarumquæ decursibus: molendinis, piscationibus, & cum omni utilitate ad ipsam pertinente, ad Episcopatum Patauien. beato Stephano contradidimus, pro religione in eâ reformandâ, & pro remedio animæ nostræ, & antecessorum nostrorum, tali conuentione interueniente, vt Episcopus, & eius successores, nobis, nostris successoribus, singulis annis in epiphania domini, quadraginta libras Ratisbon. monetæ, Regio fisco de eadem Abbatia perfoluant. Sancimus itaque Imperiali nostra autoritate, vt nullus successorum nostrorum, Regum seu Imperatorum, hanc nostram donationem, quam ad honorem Dei, & utilitatem Ecclesie & Imperij fecimus, immutare attemptet. Præterea per hanc nostræ autoritatis paginam firmiter præcipimus, nequis Dux, Marchio, seu Comes, vel aduocatus, in his possessionibus iam dictam Ecclesiam aliquo tempore inquietare, seu molestare præsumant. Quod si quis huius præcepti nostri violator ausu temerario, quod non credimus, extiterit, centum libras auri optimi componat, medietatem Camerae nostræ, & medietatem dicte Ecclesie. Et vt hæc nostra donatio rata & inconuulsa in perpetuum maneat, hanc nostri priuilegij paginam sigilli nostri impress. insigniri & muniri iussimus, testibus subter notatis: Ardicio Cunanus Episcopus, Henricus Dux Bavarie atque Saxonie, Otto Palatinus comes, Fridericus Palatinus comes de Widelmesbach, Bertoldus comes de Andesen, Rudolfus comes de pullendorp. Burkkardus præfectus Magdeburgen. comes, Gozimus comes, vido de Blandraco, Conradus Comes de Auenberg, Conradus comes de Balnehufen, Alegam aduocatus Augusten. Marquardus de Grubinbach, & Ioannes Abbas cornicen. Signura Domini Friderici Romanorum Imperatoris inuictissimi. Ego Vlricus Cancellarius vice Reinaldi Colonien.

Archi-

*Wittelin.
spach
hulendorp.
Gorsvick*

Archiepiscopi recognoui. Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis M. CLXI. ind. IX. regnante domino Friderico Romanorum Imperatore inuictissimo, anno Regni eius IX. Imperij vero VI. Datum Cumas, IV. Kal. Febr. feliciter, Amen.

II.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Fridericus diuina fauente clementia, Romanorum Imperator Augustus. Si iustis fidelium nostrorum petitionibus benignè annuimus, & faciliè præbemus assensum, vt pia deuotio celerem fortiatur effectum, antecessorū nostrorum, Regum & Imperatorum vestigia imitamur. Nā inclinari precibus nostra Imperialis dignitas consueuit, & vniuersa in Imperio nostro ordinabilius reguntur & gubernantur, si cum virgā æquitatis & iustitiæ principalis clementia comes adiungatur. Ratio igitur exigat, & Imperiali videtur congruere honori, vt fidelium nostrorum dignas petitiones clementer admittamus, illorum præcipuè, quorum fides præclaris operibus magis est comprobata, quorum etiam desideria circa honorem coronæ nostræ stabili constantiā amplius cognouimus. Ea propter vniuersorum Imperij nostri fidelium tam futura, quam præsens nouerit ætas; qualiter nos, pio ac sedulo rogatu dilectissimi patris nostri Conradi, venerabilis Patauien. Ecclesiæ Episcopi, & principum interuentu & consilio, Abbatiam sanctæ Mariæ in Patauia, cum omni integritate & honore, quo ad nos, & Imperium spectare dinoscitur, videlicet cum omnibus possessionibus, intus & exterius, cū ministerialibus, seruis, & ancillis, villis, terris, cultis & incultis, vineis, syluis, pratis, pascuis, aquis, aquarum uè decursibus, molendinis, piscationibus, & cum omni utilitate ad ipsam pertinente, & Episcopatum Patauien. beato Stephano contradidimus, pro religione in ea reformandâ, & pro remedio animæ nostræ, & antecessorum nostrorū, tali conuentione interueniente, vt Episcopus & eius successores, nobis, & nostris successorib⁹, singulis annis, in Epiphania domini, quadraginta libras Ratisbon. monetæ Regio fisco de eadem Abbatia persoluant. Ab hac autem donatione Abbatie prædictæ aduocatum excipimus, cuius inuestituram nobis, nostris successoribus, Regibus & Imperatoribus, cum omni integritate conseruamus. Sancimus itaq; nostra auctoritate Imperiali, vt nullus successorum nostrorum, Regum seu Imperatorū, hanc nostram donationem, quā ad honorem Dei, & utilitatem Ecclesiæ & Imperij fecimus, immutare atemptet. Præterea per hanc nostræ auctoritatis paginam firmiter præcipimus, ne quis Dux, Marchio, seu comes, vel aduocatus, in his possessionibus, iam dictam Ecclesiam aliquo tempore inquietare, seu molestare præsumat. Quod si quis nostri præcepti violator, ausu temerario, quod non credimus, extiterit, centum libras auri optimi componat, medietatem Camerae nostræ, & medietatem prædictæ Ecclesiæ. Et vt hæc nostra donatio rata & inconuulsa in perpetuum maneat, hanc nostri priuilegij paginam sigilli nostri auctoritate insigniri & muniti iussimus. Huius donationis nostræ testes sunt; Pilgrinus Aquilegien. Patriarcha, Hillinus Treueren. Archiepiscopus, Ernardus Bambergens. Episcopus, Conradus Augusten. Episcopus, Gero Alluerstaten. Episcopus, Hermannus Constantien. Episcopus, Fridericus Monasterien. Episcopus, Gotefridus Traiecten. Episcopus, Hermannus Verdén. Episcopus, Heinricus Dux Bauariæ & Saxonix, Otto comes palatinus, & fratres eius, Fridericus & Otto. Ludouicus provincialis comes, Conradus Palatinus Comes de Rheno, Fridericus Dux Sueuorum, filius Regis, Heinricus Dux Carynthiæ, Bertoldus comes de Andexe, Rudol-

de Andexe, Rudolfus comes de Phullendorf, & alij plures. Signum Domini Friderici Romanorum Imperatoris inuictissimi. Ego Vlricus Cancellarius vice Renaldi Archiepiscopi Colonien. & Italiae Archicancellarij recognoui. Acta sunt hæc Anno Dominicæ incarnationis M. C. LXI. indiēt. IX. regnante domino Friderico Romanorum Imperatore Victore. Anno regni eius X. Imperij verò VII. feliciter amen. Datum ante portas ciuitatis Mediolanen. tempore vastationis, tertio non. Iunij.

III.

Donatio Episcopi Conradi Capitulo suo anno 1088. facta cuius D. Hincdus mentionem facit, huius est tenoris.

CHVNRADVS cœlesti gratia Pataviens. Episcopus, cunctis Ecclesiæ suæ Christianique fidelibus salutem in perpetuum. Ad suscipienda pastoralis curæ pondera, Domino præcipiente, vocati, locumque nostrum Cathedralem Pataviæ, multaque in loco ad honorem Dei à prædecessoribus nostris pontificibus intra & extra MONASTERIUM ornata decenter atque ordinata contemplatis nos quoque optimis illorum exemplis, Deo inspirante, exemplificati, ad similia in eodem loco & per Episcopatum ubique pro viribus nostris, spe retributionis æternæ, superaddere curauimus, si qua restarent necessaria. Cæteris igitur in eadem ciuitate ante nos rationabiliter ab Antecessoribus nostris ordinatis, illud nobis ordinandum videbatur in melius, Vt FRATRUM habitacula, tam inter se etiam inordinate locata, quam sparsim laicorum ædificijs indecenter & minus canonicè permixta, vnum in locum ante & secus Ecclesiam imponerentur, quatenus ad decorem domus Dei, fraterne fratribus & iocundè in vnum habitantibus, seditiosum vulgus & quicumque prophani ut moribus, sic & domibus suis à Clero se jungerentur. Ad hoc, ut ante faciem Templi spatiosa quædam & apta Canonorum processioni delectabilis appareret latitudo, ubi etiam in circuito, plebe semotà, fratres de Choro, mansionibus suis per ordinem ædificatis, cohabitarent, tres areas, hortum, locaque nostri iuris illic vniuersa, quæ Episcopalem attingebant iusticiam, firmâ traditione donauimus, ac stabilitate hac etiam terminorum circumscriptione; ut quidquid murorum circuitus ab orientali capite sanctuarij, ab utroque eiusdem Austriano & Boreali latere, retrò vsque ad Occidentalem ciuitatis murum se contineret, id nostra collatione Fratribus traditum nullus successor noster Episcopus alienare ab vsibus eorum præsumeret. Quo negotio, ut cogitauimus, multis coram liberis & ministerialibus adimpleto, conscriptum præsens, ob memoriam eiusdem peractonis, priuilegium numerosis testibus, & nostri appositione sigilli, infra vt euidentis est, cautissimè muniri præcepimus. Porro ut ex hoc nunc, & vsque in omne tempus futurum huius priuilegij continentia non facile cuiquam videatur euacuanda, auctoritate Dei omnipotentis, sub patrocinio beati Stephani protomartyris, omniumque sanctorum, in animam & corpus æternæ maledictionis vinculum illis anuectimus, quicumque vel opere, vel ingenio prædicta cassauerint, ita ut morte sine corpore & sanguine Dominico præuenti cum maledictis in ignem æternum mereantur reprobari. Amen. Testes sunt ex liberis: Adelrammus de Chambe: Engelschalcus de Aterseo, & frater eius Diethpoldus: Erchenbertus de Mosëbach, & frater eius Hartvicius. Babo de Tollingen. Chunradus de Amezinespach, cæteri que ex ministerialibus Ecclesiæ, Waltherus de Glaneca: Rudigerus iudex: Hartmundus pincerna:

Otto: Rudigerus de Holzhusen, & frater eius Porno, multiq; plures. Acta sunt hæc Anno post incarnationem Domini M. C. LV. Episcopatus verò nostri VI. Mensè Aprili Luna XXX. Indictione II. Henricus Scholasticus recogno- uit Patauiæ.

99. De hoc Ruperto accipienda sunt quæ Chronici Richerspergen. auctor coarctatus an. M. CL. XV. scribit. In proximo mense Iulij Imperator venit in partes Bava- riæ, & Patauiam III. Kal. eiusdem mensis, quando Episcopus eiusdem loci om- nes ferè Prælatos eiusdem Episcopatus propter præsentiam Imperatoris iurare coëgit & deinceps cogere disposuerat. Et à Patauia per Danubium naualiti- nere partes orientis intrans, Wiennam venit, ubi ferè XIV. diebus mansit. Ibi electus Ratisponensis iurauit, & Dux Austriæ Henricus patruus Imperatoris & alij Principes.

Haud exigua apparet confusio, qua serie Conrado Patauiens. Episcopo ad Archiepi- scopatum Salisburgen. translato subsequentes Episcopi aliquot, sibi inuicem successerint. D. Hund. Rupertum commemorat à Friderico I. an. M. CL. IX. constitutum: eique ab Alexandro excommunicato subrogatum fuisse, mox ab eodem Imp. Alberonem, siue Alba- nem, aut Albanum quendam Frisingensem Canonicum, Anno MCL. X. qui excommu- nicationem Pontificis contemnens, cum Patauij triennium sedisset, coram Imperatore accu- satus de enormibus quibusdam criminibus exauthoratus fuerit iterum An. M. CL. XIII. eique subrogatus Henricus Comes Bergen. ex Sueuia. qui homo decrepita Senectutis, qui quia à Moguntino consecrari renuerat, resignarit Episcopatum post paucos menses: re- petito An. M. C. L. XIV. ad gubernationem Ecclesiæ Patauien. Ruperto, illo nimirum, qui excommunicationi Pontificis cesserat: & post unius anni & quatuor mensium spacium defuncto sublectum Theobaldum Com. Bergen. Henrici de quo proxime dictum fratrem & anno MCL. XV. admissum.

11. Chronicon Patau. Episcoporum M. S. translato Salisburgam Chonrado, tradit ele- ctum fuisse Theobaldum Anno MCL. XV. eique superpositos tres sibi inuicem succedentes: nimirum Robertum schismaticum; & hoc defuncto, Alberonem alias Albonem Frisingen. denique Henricum utrumque itidem schismaticum.

Rursus ab his diuersa tradit Richerspergen. se Chronicon à Synchrono congestum: diserte enim commemorat. post Episcopum Chonradum (Anno MCL. XV. Salisburgi Archiepi- scopum electum) electum quidem fuisse Anno MCL. XV. Dominum Ruodbertum presbyte- rum & Decanum Patauiensis Ecclesiæ senem valde & plenum dierum, eumq; eo ipso anno, Non. Decemb. mortuum; & post hunc Dn. Albon Prepositum Diaconum eiusdem Ecclesiæ Patauien. electum. III. Idus Nouembr. Idem Chronico. testatur Henricum anno MCL. XX. precedente anno in locum Albonis ex permissione Imp. electum primum in Episcopatum su- um uenisse. Nec prætermittendum hic est quod recte monet, mouetque D. Hundius, ex pri- uilegio Episcopi Theobaldi, Monasterio Osterhoien super decima vinearum in Austria con- cesso quod infra sub isto Monasterio exhibebitur. Data autem seu conclusio istarum literarum, quam ex parte tantum adfert Hundius sic habet integrè. Datum in Palatio Patauien. per manum Tugenoris Notarij & Presbyteri Ecclesiæ Andree in Austria iuxta mōtes Comageios. Anno incarnationis Dominicæ MCLXXXVIII. Indict. X. sub Domino Urbano PP. III. regnante Domino Friderico Imperatore glori- osissimo Anno regni eius XXXVII. Pontificatus verò Domini Theobaldi. X. H. Facile ex his colliget lector, quot anni tribuendi sint Theobaldo: quidquid cum antecessori- bus eius schismaticis, in tanta temporum illorū perturbatione contigerit. Largitionis Theo- baldi, nec non quorundam aliorum, qui Ecclesiæ Patauiensi dona sua contulerunt, testes his profero literas Sum. Pontif. Lucij, memoria dignas.

LVCIVS Episcopus servus servorum Dei, dilectis filiis FRIDERICO Decano
 Pataviensi, eiusq; fratribus, tam presentibus, quam futuris canonicè substituendis
 in perpetuum. Effectum iusta postulanti bus indulgere, & vigor æquitatis, &
 ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem pietas adiuuat,
 & veritas non relinquit. Eapropter, dilecti in Domino filij, vestris iustis postula-
 tionibus clementer annuimus, & præfatam Ecclesiam Pataviensem, in qua di-
 vino mancipati estis obsequio, ad exemplar felicitis recordationis ALEXANDRI
 P. P. prædecessoris nostri SVB BEATI PETRI ET NOSTRA PROTECTIONE SVSCI-
 PIMVS, & presentis scripti priuilegio communimus, statuentes, vt quascunq; pos-
 sessiones, quæcunq; bona eadem Ecclesia in presentiarum iuste & canonicè pos-
 sidet, aut in futurum cõcessione Pontificum, largitione Regum, vel principum,
 oblatione fidelium, seu alijs iustis modis, præstante Domino poterit adipisci, fir-
 ma vobis vestrisq; successoribus & illibata permaneant. In quibus hæc propriis
 duximus exprimenda vocabulis: Duas curtes villicales in RVDELHAIM; paro-
 chia CHORPHAIM: & Ecclesiam, quæ dicitur HOHENSTAT, cum pertinentijs suis,
 quas Regimarus Episcopus Ecclesiæ vestræ contulit: Prædia in villa Vietpach,
 quæ Hartvvicus de Hagenovve vobis pro remedio animæ suæ, & in recompen-
 satione thesauri, quem Reginbertus Eps, frater eiusdem Hartvvici, de sacratio
 vestro accepit, tradidit: Ecclesiam S. Stephani de WACREINE: & Ecclesiã SVVAT-
 NACHIRCHEN: Ecclesiam PECENCHIRCHEN, cum pertinentijs suis, quas Episco-
 pus Chunradus vobis contulit: Ecclesiã AHALMINGEN, cum pertinentijs suis:
 parochiã S. PAVLI PATAVIÆ, cū pertinentijs suis, villis videlicet & hortis Ciuita-
 ti adiacentibus, quam Episcopus Theobaldus vobis contulit: prædia V I H E H O-
 VEN, MOSIN, VECHELABRVCKE, RINDERHOLZ, HAFRE, ENGELHARTSHAIM,
 MADELGERESDORF, MITTERENHIRSHAIM, OBERENDORF, OVVENHEIM,
 ODELPERINGEN, WILLINGEN: Sectionem lignorum cum pascuis in foresta
 iuxta Ciuitatem sita: Prædia GALCVVIS, VELTKIRCHEN, STRACHEN,
 TVSINGEN, HARTPERCH, VISENHART, SVVAINNE, CHÖNELBACH,
 IGILBACH, IAGARN, RAINBACH, TANHEIM, HYNCHOPTEN, OSPIRN-
 BERGE, PVCINGEN, HEZELINGEN, AICHE, RAPHALTESTETEN, SV-
 BENE, SVNNENBACH, IVGELBACH, LANGAREDORF, LANDINDORF,
 GERRICHESDORF, FRINGENBERGE: villam CHEZELINESDORF: &
 decimas de vineis & agris vestris ibidem prouenientibus: decimam apud CHY-
 NEHOHESTETEN. Ad hæc auctoritate Apostolica in hibemus, ne Eps vester,
 qui pro tempore fuerit, possessiones, aut alia bona vestris stipendijs deputata, si-
 ne communi assensu Capituli, vel maioris & sanioris partis, infeudandi, vel quo-
 modolibet alienandi habeat facultatē. Interdicimus etiã, vt cõtra consuetudinē
 hætenus obseruatã famuli vestri, donec eos ad iustitiam exhibendã cogere vo-
 lueritis, ad examē Iudicis Ciuitatis minimè pertrahantur. De mansionib. quoq;
 Canonicorū & arcis ad habitationē ipsorū deputatis infra terminos designatos,
 contra assignationē & concessionem Chunradi quondam Pataviens. Epi, præter
 Canonicos ordinare vel disponere quippiã nullus attentet. De redditibus verò
 ad præbendas Canonicorū pertinentibus, nõ nisi Decano & fratribus, sicut præ-
 fatus Eps de communi assensu Capituli decreuisse dignoscitur, disponere liceat,
 nec in his, contra voluntatem vestram specialē, sibi vendicet potestatem. Sta-
 tuimus præterea, vt si quisquam Canonicorum intestatus decesserit, facultates,
 quas ratione officij vel Ecclesiæ adeptus fuerat, communi Fratrum & Ec-
 clesiæ vsui applicentur. Decernimus ergo, vt nulli omnino hominum liceat
 præfatam Ecclesiam temerè perturbare, aut eius possessiones auferre, vel ab-
 latas retinere, minuere, seu quibuslibet vexationibus fatigare, sed omnia in-

tegra conferuentur, eorum, pro quorum gubernatione ac sustentatione concessa sunt, vñsibus omnimodis profutura, salutē Apostolicę sedis auctoritate, & Episcopi vestri Canonicā iustitiā.

Si qua igitur in futurum Ecclesiastica secularisue persona hanc nostrę constitutionis paginam sciens contra eam temerē venire temptauerit, secundō teritiouē commonita non reatum suum digna satisfactione correxerit, potestatis honorisq; sui dignitate careat, reamq; se diuino iudicio existerē de perpetrata iniquitate cognoscat, & à sacratissimo corpore & sanguine Dei & Domini redemptoris nostri Ie s v Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtę vltioni subiaceat. Cunctis autem eidem Ecclesię sua iura seruantibus, sic pax Domini nostri Ie s v Christi, quatenus & hic fructum bonę actionis percipiant, & apud districtum iudicem pręmia æternę pacis inueniant. Amen.


- ✠ Ego Lucius Catholicę Ecclesię
- ✠ Ego Viuianus tituli S. Stephani in Card. ff.
- ✠ Ego Cynthius presby. Card. tituli
- ✠ Ego Arduinus presb. Card. tituli Ierusalem ff.



Episcopus ff.
Celiomōte presb.

sanctę Cecilie ff.
sanctę Crucis in

- ✠ Ego Mattheus presb. Card. tituli S. Marcelli ff.
- ✠ Ego Laborans presb. Card. S. Marię trans Tibrim tituli ff.
- ✠ Ego Petrus tituli sanctę Susannę presb. Card. ff.
- ✠ Ego Chunradus Sabin. Episcopus Salzp. minister ff.
- ✠ Ego Theodinus Portuen. & S. Rufinę sedis Episcopus ff.
- ✠ Ego Petrus Tusculanus Episcopus ff.
- ✠ Ego Paulus Prenestinus Episcopus ff.
- ✠ Ego Iacobus S. Marię in Cosmidyn Diac. Card. ff.
- ✠ Ego Ardicio S. Theodori Diac. Card. ff.
- ✠ Ego Rainerius S. Gregorij ad velum aureum Diac. Card. ff.
- ✠ Ego Gratianus sanctorum Cosmę & Damiani Diac. Card. ff.



Datum Velletr, per manum Alberti sanctę Rom. Ecclesię presbyteri Card. & Cancell. VI. Idus Maij, Indiçtio. XV. Incarnationis Dominicę Anno M. C. LXXXII. Pontificatus verò Domini Lucij Papę III. anno primo.

*Facta anno MCLXXVII. concordia inter Pont. Alexandrum III. & Fridericum I. Imp. tandem An. MCLXXXIX. Fridericus expeditionem in Palestinam suscepit: & simul Dierpoldus quoque, vel Theobaldus Episcopus, cum fratribus suis quibusdam Canonicis videlicet precipuis, ac maioribus de choro Patauien. huic via ac labori Imperatoris se strenuē pro Domino, & pro redemptione anima sua iunxit, optans, imo certus pro temporalibus quę multa reliquit, sempiterna se recipere post hanc vitam in Hierusalem superna, nec verò pia hac vota fuerunt irrita. nam, vt idem scriptor Richerspergen. tum viuens narrat; Idem venerabilis Episcopus Patauiensis Dominus Dierpoldus ad exemplū predecessoris sui sanctę memorię Domini Reginberti, eiusdem Patauiensis Ecclesię quondam Episcopi secutus Dominum, qui est via, veritas, & vita: & accepta Cruce cum fratribus suis Canonicis, videlicet maioribus ac precipuis de choro Patauiensi sex numero, iter sanctę peregrinationis cum Domino Imperatore Friderico diuę memorię fuerat aggressus pro redē-
pione*

ptione animæ suæ. Qui, quamuis fuisset nobilis valdè genere, utpote de magnorum Principum, & de Imperiali sanguine creatus, & admodum iuuenis ætate, non tamen veritus est animam suam ponere viriliter pro liberatione Hierusalem terrestri, quantum in ipso fuit, ut vitam æternam promereretur in Hierusalem cœlesti: Quam & adeptus nunc gaudet in cœlis cum sanctis confessoribus Dominiq; sacerdotibus decoratus iam vna stola, securusque de reliqua. In fine secundi anni peregrinationis suæ, id est III. non. Nouemb. cœlo reddit animam beatam, terræ carnis materiam; apud Accaron sepultus, præmissis prius ad Dominum omnibus fratribus suis, qui eum de terrâ sua in terram æternæ promissionis fuerant, ut patrem secuti. Quorum nomina hæc fuerunt: Burchardus liber de Chambe Archipresbyter: Vdaltricus Præpositus de Ardasher, & Archipresbyter: Meginhalmus de Patavia plebanus ciuitatis ipsius & Archipresb. Marquardus quoque Præpositus de S. Andrea: Rudegerus de Aheime, Chuonradus Prior inter eos & maior ordine & dignitate, sed itineris confocius: Dominus Tageno Pataviensis Ecclesiæ Decanus: * Ipse est, qui singulas mansiones, quas pertransierant pio studio ad notans, labores & angustias confratrum suorum & exercitus DEI viuentis & pro Domino peregrinantis, memoriæ posteriorum scripto commendauit, & plenus ipse charitate, omnibus scire volentibus ordinem historiæ, ipse moriens apud Tripolim, ibique sepultus, in memoriam sui ea, quæ ipse viderat & pertulerat in eadem expeditione à prima egressione Episcopi Dietpoldi à Patavia, quæ facta fuit in XVII. Kal. Iunij, vsque dum exercitus Christianorum venit Antiochiam sequenti anno in XI. Kal. Iulij diligenter conscribens exempla eorum nobis remisit. Quæ etiam in hoc libello fideliter per annos adnotata sunt, &c.

* Scripsit
hunc ex-
peditionis
Hierosoli-
mitanæ.

Extat in prædicto Chronico, epistola Dietpoldi Episcopi ad Austria Ducem Luipaldum de progressu itineris istius.

Consentit cum his Chronic. Episcoporum Pataviensium. Et Chronic. Riecherspergen: Anno M. CXC. Defuncto in peregrinatione piæ memoriæ Domino Dietpoldo Episcopo Pataviensium Ecclesiæ. Dn. Wolfkerus Præpositus in locum eius substitutus est, electus vnanimiter Pataviæ à Choro & Prælati omnibus eiusdem Episcopatus, ministerialibus quoque & plebe, V. Idus Martij. Qui statim in media Quadragesimæ iuit ad regem pro suscipiendis regalibus. Et paulò infra: Electus Pataviensis Dominus Wolfkerus Canonicus eiusdem Ecclesiæ Pataviensis ab Imperatore reuersus ab Archiepiscopo Adalberto, plenitudinem officij sui accepit Salzburgæ, in sancta solennitate Pentecostes in presbyterum consecratus Sabbato, & sequenti Dominica die, id est, V. idus Iunij ad honorem & dignitatem Episcopatus cum gaudio omnium sublimatus & consecratus est, cooperantibus Archiepiscopo & præsentibus Ratisponensi & Gurcensi Episcopis. Inde post triduum id est, II. idus Iunij in Ecclesia sua Pataviensi, lætantibus & applaudentibus pariter maioribus ac minoribus solenniter valdè tunc primum, post electionem suam susceptus & inthronizatus est.

Nec huic quidem Episcopo Wolfgero Imp. Henricus VI. Bavar: Dux liberalitate suâ defuisse videri debet; sicut subsequens Diploma ostendit.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Henricus sextus, diuinâ fauente clementiâ Romanorum Imperator semper Augustus. Inter cætera pietatis opera, quæ dignè memoriæ commendanda esse credimus, id ad salutem animæ, & humanâ felicitatè præcipue nobis proficere speramus, si necessitatibus ecclesiarum Dei consideratis, ad bonum illarum statum promouendum, liberalitatis nostræ manum extendimus & animum, ad eas autem maximè, qua-

rum pastores seruitio Dei, & religioni earum, pariter & vtilitati nouimus intendere, in nostro & Imperij seruitio sollicitos esse perpendimus & seruentes. Fidem itaq; sinceram, ac deuotionem incensam, quam dilectus ac fidelis princeps noster Wolfgerus Patauien. Episcopus, nobis & Imperio exhibuit, & exhibere solet, necnon studia, quibus ad eius Ecclesie commodum & exaltationem ardentem inuigilat, considerantes; Notum facimus vniuersis, presentem paginam intuentibus, quod nos Abbatiam beatæ Dei genitricis Mariæ, videlicet congregationis sanctarum monialium in Patauiâ (quam prædecessores nostri, Domini Imperatores, Otto primus, Otto secundus, & Otto tertius, & pater noster Fridericus, felicitis memoriæ, quondam Romanorum Imperator inuictissimus, Ecclesie beati Stephani prothomartyris in Patauiâ cõtulerunt, & suis priuilegijs, quorum tenorem inspeximus, confirmauerunt, licet aliquanto tempore vsibus memorati patris nostri, & nostris illa subseruierit) cum vniuersis pertinentijs suis, videlicet, cum aduocatiâ, & seruitio, Regio subsidio siue supplemento seu steura, quod in vulgari Kunigsteür dicitur, ministerialibus quoque, & alijs quibuscunque hominibus, villis, agris, vineis, syluis, pratis, pascuis, montibus, planiciebus, cultis & incultis, molenadinis, piscationibus, aquis, aquarumque decursibus, siue quibuscunque rebus alijs, precum eiusdem fidelis nostri interuentu, ad religionem in prædicta Ecclesia sanctæ Mariæ per eum in meliorem statum reformandam, pro animæ nostræ, ac parentum nostrorum remedio, in concambio prædij in Merdingen sit, vt melius hoc per idipsum factum nostrum in posterum memoriæ sit commendandum, præmemorata Ecclesie sancti Stephani, & successoribus suis, donauimus & confirmauimus, Ita, quod ipse, & iam dicta Ecclesia, & omnes succedentes ei in Episcopatu Patauien. illam liberè & absolutè, qualibet exceptione remotâ, cum omni iure suo, sicut Imperium tenuisse dinoscitur, habeat in perpetuum & obtineat; & Imperium prænominatum allodium in Merdingen situm cum omnibus appenditijs suis, & cum omni iure, quo sæpè dicta Ecclesia sancti Stephani illud habuit hucusque, & possidet, liberè teneat ac possideat. Quod vt euidentius & clarius elucescat, statuentes, & imperiali edicto fancientes, vt nullus Archiepiscopus, Episcopus, Dux, Marchio, Comes, Vicecomes, Castellanus, Aduocatus neque aliqua denique persona, humilis, vel alta, secularis aut Ecclesiastica, hanc nostram donationem audeat infringere, vel aliquâ temeritatis arrogantiâ illi præsumat contraire, quod si facere attemptauerit, in vltionem excessus sui centum Markas argenti puri pro pœna componat, medietatem cameræ nostræ, reliquam verò partem prædictæ beati Stephani prothomartyris Ecclesie, siue eius Episcopo. Huius rei testes sunt: Iohannes Treueren. Archiepiscopus, Otto Spiren. Episcopus, Henricus Wormacen. Episcopus. Otto Frising. Episcopus, Galterus Troianus Episcopus, Manegoldus Abbas de Degernsee, Adolfus maior præpositus in Colonia, Conradus Gossalarien. præpositus, Leopoldus Dux Austriæ, & Leopoldus eius filius, Conradus Dux Sueuiæ, Rudolfus palatinus comes de Thubingen, Emecho comes de Lyingen, Sigvertus comes de Werda, Seifridus comes de Morle, Albertus comes de Eberstein, Rapoto comes de Ortenberg, Albertus comes de pogen, Boppo comes de Wertheim, Gebhardus comes de Tolenstein, Fridericus & Burkardus comites de Rolre, Fridericus co. de Hohenberg, Rupertus de Turne, Gotfridus de Winede, Crino de Murnberg, Marquardus dapifer de Annevilre, Henricus Marscalcus de callendin, Henricus pincerna de Lutra, Conradus Camerarius de Stauffe, Rapoto de Lapide: In Austria, Otto de Ramespere,

Gasslar.

*

mesperg, Hadamanus de Kiniringen, Wichardus de Séeueld, Wichardus de Zebingen, Herandus de Wildenge, & alij quàm plures. Signum domini Henrici sexti Romanorum Imperatoris inuictissimi. Acta sunt hæc Anno ab incarnatione Domini MCXCIII. ind. XI. regnante domino Henrico sexto Rom: Imper. inuictissimo, Anno Regni eius XXIII. Imperij verò secundo. Datum Spiræ per manum Sigeloi Imperialis Aulæ. . . . prothonotarij, in sancta die paschæ, V. Kal. April.

cc.

Qui hunc Manegoldum, supra nominati Theobaldi Episcopi Patauien. fratrem germanum, annis circiter triginta, post fratrem in eandem sedem sublimatum, Abbatem Tegernseensem pronunciant; quam verè hoc faciant, ipsi viderint. Inter Abbates sanè istius monasterij nullibi reperitur. Nos post habitus huius quæ incerta sunt, certis inherentes, Manegoldum Episcopum Patauiensem agnoscimus, & quæ illo ad sedis Patauina clauum sedente à Rom. Principib. priuilegia tam ipsi quàm Ecclesiæ, & successoribus indulta fuere, quot quidem ad manus nostras peruenerunt, heic inferere volumus.

I.

In nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. PHILIPPVS diuina fauente clementia Romanorū Rex, & semper Augustus. Ea quæ in præsentia regiæ Maiestatis ritè & rationabiliter gesta sunt, ne longâ temporum successione in oblivionem deducta contingat euanescere, literarum ea indicijs in perpetuam memoriam hominum decet & incongruum non est perennare. Ad noticiam itaq; vniuersorum, tam præsentis ætatis, quàm in æuum successuræ posteritatis hominum peruenire volumus, qualiter constitutis in præsentia nostra dilecto fidei nostro MANEGOLDO PATAVIENSI EPISCOPO, & OTTONE DVCE MERANIÆ, ipse Dux pro feudo Comitum F. de Bilestain Ecclesiæ Patauiensi tunc vacante, & pro quadam summa pecuniæ, videlicet mille octingentis Marcis, castrum WINDEBERDE, cum ministerialibus omnibus siue in beneficiatis immò omnibus hominibus, quocunque iure ipsi castro pertinentibus, cum omnibus quoque possessionibus, terris videlicet cultis & incultis, pascuis, pratis, syluis, aquis, aquarumquæ decursibus, piscationibus, venationibus, & demum cum vniuersis pertinentijs suis, Ecclesiæ Patauiensi per manus nostras in perpetuam proprietatem contradidit: COMITATVM etiam quendam, qui durat à ponte, qui REGENBRVGGE dicitur, vsque ad fluuium, qui ILDSE nuncupatur, & à fluuiio DANVBI vsque ad terminum BOEMIÆ, quem memoratus Dux potestate & iure tenebat Imperij, in manus nostras resignauit, & nos eundem COMITATVM nobis liberè resignatum statim PATAVIENSI ECCLESIAË perpetuò, liberè, & absolutè possidendum contulimus. Has igitur donationes tam à nobis ipsi, quàm à præfato DVCE Patauiensi Ecclesiæ rationabiliter factas, sicut congruâ ordinatione eas executioni mandatas esse recognoscimus, sic quoque ipsi Ecclesiæ inuiolabiliter in eum possidendas regia auctoritate confirmamus, Statuentes & regio districto firmiter præcipientes, vt nulli vnquam personæ, altæ vel humili, Ecclesiasticæ vel sæculari licitum sit, hanc nostræ confirmationis diualem paginam infringere, seu aliquo ei improbitatis ausu obuiare. Quod qui facere præsumpserit, regio mandato, in suæ præsumptionis poenam, centum libras auri purissimi componat, quorum medietas fisco nostro, reliqua verò medietas iniuriam passis persoluatur. Testes autem huius rei sunt, Wolfgerus patriarcha Aquilegien. Chunradus Spirensis Episcopus; Ekkebertus Babenbergen: Episcopus; Bernhardus Dux Carinthiæ; Dietpoldus LANGRAVIVS de LVGGENBERGE; Comes Meinhardus de

Görze; Comes Ludvvicus de OTTINGEN; Henricus dapifer Imperij de WALPERCH; Henricus MARSCHALCVS de KALIENDIN; Henricus Camerarius de Rauensperch; Waltherus dapifer Imperij; Henricus de Smalnekke; & alij quàm plures. Signum Domini PHILIPPI secundi Romanorum Regis inuictissimi. Acta sunt hæc Anno Domini M. CC. VII. Regnante Philippo secundo glorioso Romanorum Rege Aug. Anno regni eius nono. Ego Chunradus Ratisponensis Episcopus, & regalis aulae Cancellarius recognoui. Data per manus Sifridi Regalis aulae protonotarij IV. Non. Nouemb. Indictione X.

II.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Fridericus secundus diuina fauente clementiâ Romanorum Rex, & semper Augustus, & Rex Siciliae. Quia res gestæ diffidentia periculum, & obliuionis dispendia pati consueuerunt, placuit per presentium continentiam, notitiæ modernorum & futurorum transmittere, quod cum quædam controuersia verteretur inter dilectum fidelem, & consanguineum nostrum, Manegoldum venerabilem Patauen. eccl. eccl. episcopum, & inter dilectum fidelem & consanguineum nostrum Luipoldum Ducem Austriae & Styriae super iure patronatus Wiennen: eccl. eccl. & super aduocatiâ fori in sancto Yppolito, & super generali terræ iudicio, quod Landtgericht nominatur, quod idem Dux in quibusdam bonis iam dictæ Patau: eccl. eccl. suo iuri vendicabat, & in quibusdam bonis eiusdem eccl. eccl. fodrum, quod vulgò dicitur Marchetfuder, ad se affererebat pertinere. Nos iam dictis Principibus in ciuitate Augustâ in presentia Regiæ sublimitatis constitutis, amicabilem inter eos concordiam fecimus & compositionem, Ita, quod ad petitionem nostram, sæpe dictus Dux cessit liti, & in manus nostras renunciauit omni iuri, quod habuit, vel quod habere videbatur, in prædicto patronatu Wien: eccl. eccl., & in aduocatiâ sancti Yppoliti, specialiter etiam renunciauit fodro, & Landtgerichte, quod habuit in quodam prædio Pat: eccl. eccl., quod dicitur Schvvadorf, & in omnibus illius attinentijs, & quidquid in his, vel in alij, B. memoriae patris sui de iure suo Patau: eccl. eccl. contulerat, ipse quoque pro se & pro vniuersis suis successoribus, eidem recognouit. Renunciauit etiam liti, quam habuit pro ponte in Ebersperg. Nos autem eadem, aduocatiâ in sancto Yppolito, & Landtgerichte, & Marktputer, sicut prædictum est, & si quæ sunt alia iura, quæ in causis prædictis ad nostram pertinent donationem, de consensu & bonâ voluntate Ducis, concessimus prædicto episcopo, & Ecclesiæ suæ, iure perpetuo possidenda. Ut autem hæc nostra benignitatis gratia, siue donatio, memorato episcopo rata maneat, & inconuulsa perpetuò perseueret, hanc paginam Regio caractere, & sigilli nostri firmitudine fecimus insignire. Hij sunt testes, qui huic celsitudinis & clementiæ nostræ facto interfuerunt: Eberhardus Salzeburg: Archiepiscopus, Otto Frising. episcopus, Conradus Ratisbon. episcopus, Sifridus August. episcopus, Conradus præpositus Frisacen. Rudegerus Pat: canon, præpositus in cella. Vricus Patau. canon. & plebanus in Vifcha. Henricus Pat: canon. & plebanus in probstorf, Ludvvicus Dux Bana: & Pal. Rheni Tipoldus Marchio de Fochburch, Albertus comes de Eberstein, Hartmannus comes de Wirtenberg, Henricus de Niffen, Wernherus de Wontlandt dapifer, Waltherus pincerna, & alij quàm plures. Signum domini Friderici secundi Romanorum Regis inuictissimi & Regis Siciliae. Acta sunt hæc Anno dominicæ Incarnat. M. CC. XV. ind. III. regnante domino Friderico secundo Rom. Rege glorioso, & Rege Siciliae. Anno Regni eius. III. Datum apud Augustam. Non. Aprilis.

III.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Amen. Leopoldus Dei gratia Dux Austriæ & Styriæ, vniuersis Christi fidelibus, in perpetuum. Cum singularum Ecclesiarum vtilitatibus debeamus semper, atq; velimus prospicere piâ mente, principaliter autem & præcipuè Pat. Ecclesiæ, quæ nostra est mater in Deo, hoc debitum soluere volumus & debemus, & gratia filialis reuerentiæ; quâ ipsi duximus exhibendam in terris, ipsa nos materno affectu reddat acceptos postmodum & felices in cœlis. Quocirca tam futurorum, quàm præsentium memoriæ commendamus, quòd nos, & pro nostrâ, & tam progenitorum, quàm hæredum nostrorum salute; nec non & pro meritis & deuotione Cathedralium Ecclesiæ eiusdem, de concilio fidelium nostrorum, presentatiuâ manu ipsi Ecclesiæ matri nostræ donauimus, vt vniuersa victualia, ad comunitè mensam & vsum eorundem Cathedralium spectantia, sine muta & surfart, & sine omni exactione in Danubio liberè transducantur. Vnde hæc nostra donatio ab aliquo in posterum possit aut debeat infringi, præsentem paginam sigilli nostri immunimè, cum horum qui interfuerunt, nominibus iussimus annotari: Quorum primus est, dominus Otto Frising. Episcopus, Bernhardus præpositus S. Nicolai, Vlricus de Bernekh, Vlricus de Weka, Hademarus de Cur. Marquardus de Hindperg, Rudolfus de Bottendorf, Vlricus de Welkenstein, Heinricus de Landsdorf, Hademarus de Wefen, Otto & Conradus fratres de Haichenbach, Heinricus de Ahaim, Conradus de Schlechdorf, & alij quam plures. Acta sunt hæc in Scolis Patauiæ, Anno Dominicæ incarnationis M. CC. XVI. indi. IV. sub Innocentio III. Papa, regnante Friderico Rege Romanorum & Siciliæ. Datum per manus Heinrici Patauieni. Can. &c. Notarij.

Denuò scriptorum apparet variatio circa Episcopum Vdalricum huius nominis secundum. Bruschius Comitem à Dießheim vocat, Dieteboldi comitis, & Domina Gisela comitissa Bergensis. vel Vohenburgensis filium, germanum fratrem Othonis secundi Frisingensis Episcopi &c. D. Hund. fratrem appellat Heinrici, Theobaldi, & Manegoldi Episcoporum supranominatorum: nec non Othonis tertij Episcopi Frisingen. quod si ita sit, quatuor fratres Bergenses Comites Episcopi Patauieni. inuicem sibi successerunt. Idem tradit D. Hund. sub Ottone Frising. Episcopo II. non tertio huius nominis, qui nullus fuit. Vid. etiam Chronicon M. S. Episcoporum Patauieni. hunc VDALRICUM simpliciter commemorat Canonicum Patauiensem: nulla habet a mentione generis vel natalium.

*Privilegium Friderici Imp. II. de regali Cœnobio sanctimonialium
B. Mariæ, Patauij.*

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Fridericus secundus, diuinâ fauente clementiâ Romanorū Rex semper Augustus, & Rex Siciliæ. Votis fidelium nostrorum, præsertim quæ ad manifestos Ecclesiarum vsus cedere videntur, de cõsuetâ Regiæ serenitatis munificentiâ piû semper fauorè volentes impendere, præsentis scripti certitudine, ad notitiâ præsentis æui, atq; ad memoriâ futuræ posteritatis volumus venire; quòd ad instantiâ & obnixas preces dilecti principis fidelis nostri Vlrici Patau. Episcopi (què in obsequijs imperij & nostris iâ dudû non tantum modò inuenimus deuotum, verum etiam in suæ fidelitatis feruore credimus, imò nõ dubitamus, constantem in antea permanurum) ad recognitionem laudabilium meritorum suorū quoddam feodum, quod de concambio antiquitus inter imperiū & cathedralè Ecclesiâ Patau. de Regali tunc Cœnobio sanctimonialium intemeratæ Virginis Dei genitricis Mariæ factò, tunc cessit Im-

perio;

perio; quod feudum tunc Vexilli, vulgo Vanlehen appellatum, Illustris quondam O. Dux Bauariæ ab Imperio dinoscitur aſſecutus. Hoc idem feudum dilectus conſanguineus noſter & fidelis Ludouicus illuſtris Palat. Comes Rheni, Dux Bauariæ ad preces noſtras, in manus Regiæ celsitudinis voluntariè reſignauit; noſque illud in continenti; prælibato Vlrico Patau. Epifcopo, & ſuæ Eccleſiæ liberaliter dignati ſumus conferre & confirmare. Ipſe aut Epifcopus ſollicitè procurans Eccleſiæ ſuæ vtilitatem, ipſum feudum ſtatim titulo legalis ſucceſſionis, contulic prænominato Duci Bauariæ, ab ipſo Epifcopo, ſuiſque ſucceſſoribus, non ab Imperio, ratione feodi de cætero recipiendum & poſſidendum. Vt itaque hæc apud poſteros inconuulſa permaneat, & perpeti firmitudine obſeruentur, hoc priuilegium, ob dilectionis euidentiam, memorato Epifcopo, ſuæque Eccleſiæ indulſimus, ſigillo aureo mentis præroboratum. Huius etiam teſtes ſunt, Sifridus ſanctæ Magunt. ſedis Archiepiſcopus, Ekevvertus Bambergen; Sifridus Auguſten. Henricus Baſilien. Epifcopi; Luipoldus Dux Auſtriæ & Sciriæ, Bernhardus Dux Carinthiæ, Otto Dux Meraniæ, Henricus nobilis de Niſſen, Anſhelmus de Guſtigen Marſcalcus imperij, Waltherus de Sipf pincerna, Dieto Camerarius, Philippus de Pollandia, Hadeſmarus de preſul, Henricus de Londſtorf, Waltherus de Tanenberg, Otto de Marſpach, & alij plures. Signum domini noſtri Friderici inuictiſſimi Romanorum Regis, & ſemper Aug. & glorioſi Regis Siciliae. Ego Conradus Meren. & Spiren. Epifcopus, imperialis aulae Cancellarius, vicè domini Sifridi Moguntinen. ſedis Archiepiſcopi, totius Germaniæ Archicancellarij, recognoui. Acta ſunt hæc Anno Domini M. CCXVII. regnante domino Friderico ſecundo, diuinâ fauente clementiâ Romanorum Rege, ſemper Auguſto, & glorioſo Rege Siciliae. Anno Romani regni ipſius V. Siciliae vero XVIII. Datum in ſoleni curia Nürenberg, Anno prætaxato 12. Cal. Febr. V. Indiçt.

Priuilegium Friderici Imp. II. ſuper feudo Fahnhehen Vdalrico Epifcopo conſeſſo.

FRidericus ſecundus diuina clementia Romanorum Rex ſemper Auguſtus, Rex Siciliae, &c. Votis fidelium noſtrorum, præſertim quæ ad manifeſtos Eccleſiarum vſus cedere videntur, de conſueta regiæ ſerenitatis munificentia pium ſemper fauorem volentes impendere, præſentis ſcripti certitudine, ad notitiam præſentis æui, atque ad memoriam futuræ poſteritatis volumus venire: quod ad instantias & obnixas preces dilecti principis noſtri Vdalrici Patauienſis Epifcopi, quem in obſequijs noſtris & Imperij iam dudum non tantum inuenimus deuotum, verum etiam in ſuæ fidelitatis fauorem credimus, imò non dubitamus conſtantem in antea permanſurum, ad recognitionem laudabilium meritorum ſuorum quoddam feudum quod de concambio antiquitus inter Imperium & Cathedralẽ Eccleſiam Patauienſem de * Repali tunc cœnobio ſanctimonialium intemeratæ Dei Virginis genetricis Mariæ factò, tunc ceſſit imperio, quod feudum tunc vexilli nomine Vanlehen appellatum illuſtris quondam Dux Bauariæ ab imperio dinoscitur conſecutus: Hoc idem feudum dilectus noſter conſanguineus & fidelis noſter illuſtris Ludouicus, Palatinus comes Rheni, & Dux Bauariæ, ad preces noſtras in manus regiæ celsitudinis voluntariè reſignauit, noſque illud in continenti præſato Vdalrico Patauienſi Epifcopo & ſuæ Eccleſiæ liberaliter dignati ſumus conferre & confir-

confirmare. Ipse autem Episcopus sollicitè procurans Ecclesiæ suæ utilitatem, ipsum feudum statim titulo legalis successione contulit præfato duci Bauariæ, ab ipso Episcopo & suis successoribus, non ab Imperio ratione feudi, de cætero recipiendum & possidendum. Ut itaque hæc apud posteros inconuulsa permaneant, & perpeti firmitudine obseruentur, hoc priuilegium ob dilectionis euidentiã memorato Episcopo suæque Ecclesiæ indulgimus, sigillo aureo maiestatis nostræ corroborandum. Testes sunt Sifridus sanctæ Moguntinæ sedis Archiepiscopus, Egkenbertus Bambergensis, Sifridus Augustensis, Henricus Basiliensis Episcopi; Leopoldus Dux Austriæ & Stiria, Bernardus Dux Carinthiæ, Otto Dux Meraniæ, Henricus nobilis de Niffen, Anshelmus de Iustingen Marscaleus Imperij, Waltherus de Sipsincerna, Dieto Camerarius, Philippus de Balandia, Hadmartus de Wesin, Henricus de Landorff, Waltherus de Thanneberg, Otto de Marspach & alij plures. Signum Friderici inuictissimi regis Romanorum & semper Augusti & gloriosi regis Sicilia. Ego Conradus Metensis & Spirensis Episcopus, imperialis aulæ Cancellarius, vice domini Syfridi Moguntinæ Ecclesiæ Archiepiscopi, totius Germaniæ Archicancellarij recognoui. Acta sunt anno Domini M. CC. XVIII. regnante domino Friderico secundo, diuina fauente clementia Romanorum Rege semper Augusto, anno quarto, & glorioso rege Sicilia vero decimo octauo. Datum in solenni curia in Nürnberggh prætaxata, 12. Cal. Februarij, indictione quinta.

Confirmatio Friderici II. facta Episcopo Vdalrico super quibusdam bonis Ecclesiæ Pataviens.

IN nomine sanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Fridericus diuinâ fauente clementiâ Romanorum Rex secundus semper Augustus, & Rex Sicilia. Ea quæ à largitione siue commutatione diuorum progenitorum nostrorum, inclitorum Romanorum Regum & Imperatorum, ad commoda ecclesiarum, siue principum Imperij deuenisse noscuntur, subsequenter confirmationem debitam à munificentia nostrâ recipere promerentur. Quocirca, huius certitudine scripti, ad notitiam præsentium, & memoriã futurorum volumus peruenire, quomodo nos exemplo progenitorum nostrorum, beneuolentiam nostram in Ecclesias & principes imperij effundere cupientes, ob dilectionis abundantiam, quam gerimus circa dilectam nobis Patau. Ecclesiam, & familiarem principem nostrum, eiusdem Ecclesiæ Episcopum Vricum, nobis & Imperio deuotum, confirmamus omnimodis & ratam habemus donationem & confirmationem de Abbatia Monasterij S. Mariæ Virginis in Patau. ciuitate siti, & de vniuersis eius pertinentijs factam ipsi Patau. Ecclesiæ Cathedrali per manus illustres prædecessorum nostrorum, diuorum Imperatorum, scilicet Ottonis primi, Ottonis secundi, Ottonis tertij, Friderici Aui nostri, atque patris nostri Henrici, qui & ab ipsâ Patau. Cathedrali Ecclesia pro Abbatia prædicta recepit in concambio prædium suum in Merdingen, cum suis Appendicijs, ut videlicet talis ratione Concambij, eadem donatio inconuulsa permaneant, & in perpetuum tenaciori memoriæ commendetur; in cuius etiam Regiæ confirmationis nostræ testimonium præsentem paginam nostri impressione sigilli signatam sæpeditæ Patau. Ecclesiæ curauimus exhibere. Huius rei testes sunt; Theodoricus Treuironum Archiepiscopus, Theobaldus Dux Lothoringorum, Rudolfus comes palatinus de Tubingen, comes Sybertus & Henricus filius suus de Werda, Hermannus Marchio de Paden, Anshelmus Marscaleus

scalcus de Iustingen, Hartmannus & Ludouicus fratres comites de Wirtenberg, Hadmarus de Küneringen, Kadoldus de Veldesberg dapifer Ducis Austriæ, & alij quàm plures. Signum Domini Friderici secundi Romanorum Regis, semper Augusti, & Regis Siciliæ. Ego Conradus Meten: episcopus, Imperialis aulae cancellarius, vice domini Seifridi Mogunt. sedis Archiepiscopi, totius Germaniæ Archicancellarij, recognoui. Acta sunt hæc anno dominicæ incarnationis. M. CC. XVIII. regnante domino nostro Friderico secundo, Romanorum Rege semper Augusto, & glorioso Rege Siciliæ. Datum Wimpinæ, anno prætaxato, cal. Aug. ind. VI. feliciter Amen,

xx. De Comitatu Hals, cuius Dn. Hundius sub hoc Episcopo Vdalrico & præcedente Vdalrico mentionem facit, plura vide infra; ubi de Episcopo Ernesto, Bauariae Duce agitur, & simul refutabitur calumnia Melchioris Cleselij Serenissimis Bauariae Ducibus irrogata. Sufficiant hoc loco ea, quæ Dn. Hund. lib. Stemat. Bauar. Tit. Comit. & Dominor. de Hals, Chamb, Vttendorff, Harbach &c. p. 84. in hunc modum scribit. Extant Passauij literæ Ducis Bauariæ Ludouici, Datæ 1224. Quod Walchunus de Rottenberch feoda Bambergen. & Ratisponen. Ecclesiarum concessit fratribus suis Alramo & Alberro de Halse, fratribus, & Wernhardo de Vttendorff. Defuncto Walkhuno Eckbertus & Gebhardus Episcopi huius concessionem ratam esse noluerunt: Idcirco res in iudicium Ducis Ludouici defertur, diem dicit Straubingæ, sententiam dat pro Episcopis, cum rei duobus diebus noluerunt respondere, interfuerunt plurimi Assesores & Sigillares. Conradus Ratisponen. Geroldus Frisingen. Hainricus de Tegernsee, Diepoldus Marchio de Hochinburch, Rapoto Co. Palat. Bauariæ, Hainricus & Hainricus Filius eius Co: de Ortenberch, Conradus Co. de Wasserburg, Bernhardus Co. de Leubnowve, Chalohus Co. de Kirchperch, Eberhardus Co. de Dornberg, Meinhardus Co. de Roteneck, Herman. Landgrauus de Luikinberge, Hainricus de Schonberch, Hainricus de Tolinze, Hainricus de Randeckke, Wernhart de Laber, Alberro Lupus de Nabecke, Hainricus de Paumgartn, Weigand de Runtig, Hoholdus de Schouvenberch, Rathold de Perg, Hainricus Waller, Purchgrauus Conradus de Saltzpurg, Chalohus de Winzer, Habard de Oeting, Rudiger de Salveld, Conrat de Gimichouen, Hainricus de Merschwanch, Waltherus de Tennenberch, Hadmarus de Wesin, Amelberdus de Aigling, Otto de Pofmünster, Otto de Iohanstorf, Hainricus de Törring, Waltherus de Chrayburck, Ekkolfus de Wartte, Richer de Rottovve, Straubing. 6. Calend. April. Anno 1224. In libro decimo rapsodiarum Auentini reperiò aliud diploma, in quo fatetur, Gebhardus Episcopus Patauiensis se de lite cum Walckun de Cambre Nepotibus in Castrum Ratinberch, per Ducem Ludouicum adiudicatum, per Rapotonem Palatinum Co. Bauariæ missum in possessionem in feudum dat, Anno, &c. 1226.

yy. Albertus hic Bohemus. Patauen. Archidiaconus. Pont. Legatus homo turbulentus, omnibus Episcopis & Principibus inuisus, plurimarum & grauissimarum extitit auctor turbatorum: non destitit etiam, in odium Ducis Ottonis oblitus acceptorum olim beneficiorum, animiq. impotens Bauariam ferro flammisq. infestare. Sed tandem recepit mercedem de meritis suis debitam: captus enim à Patauiensibus, excoxiatus fuit.

zz. De hoc Rudigero, primo Episcopo Chiemensis; pòst Patauen: vide infra, sub Ecclesia Chiemesee.

Aaa. Extat Episcopi Berchtoldi Diploma, de immunitate curiarum Canonicarum, & terminis ad quos ea immunitas seu libertas se extendit: de Archidiaconatibus solis Canonicis conferendis: item ut Canonici sint digniores omnibus Prælatibus Diocesis Patauiensis: præterea, Castellani & Turristæ, in quo teneantur Capitulo, sede vacante, & nonnullis alij rebus; ut subsequitur.

Perch

Perchtoldus Dei gratia sanctæ Pataviens. Ecclesiæ Episcopus, venerabilibus in Christo suis Fratribus, Decano & Capitulo Pataviensi, & eorum successoribus in perpetuum. Cum vestram quietem & laudabilem libertatem, per insufficientiam & incuriam R. Exepiscopi, suis culpis exigentibus per sedem Apostolicam depositi, inuenimus penitus deformatam, & nos tam circa Ecclesiam, quam etiam vestras venerabiles personas diuersis compassionibus inflammati sitiamus omnimodam diligentiam adhibere, vt deformata in statum debitum reformatur, & eis, quæ contra vestram libertatem & sacros Canones sunt temere attemptata, reuocatis in irritum, quietis & salutis, omnis & emunitatis, Deo propicio, vobis instaurare velimus firmissimam libertatē; In primis equidem arcem vestram, in qua vestra domus diuersæ sitæ consistunt, ab Oeno siue ab Austrō versus Aquilonem, hoc est, Danubium; ac ab Oriente vi. porta Palatij Consulis, ante cuius Consulis palatium LAPIS SANGVINIS iacet, versus occidentem, vsq; Urbis murum, qui die Wehr vulgariter appellatur, sicuti in priuilegio felicissimi Chunradi Episcopi, antecessoris nostri, id ipsum verbis alijs est expressum, sancimus præsentī priuilegio gaudere omnimodā libertate, firmiter statuentes, vt infra eundem ambitum nullus quicquam tractare habeat, vel etiam ordinare, nisi quod vestro Capitulo videatur placere, cum vestram antiquam libertatem, iuxta consuetudinem in eadem Ecclesia prædecessorum nostrorum post Canonice electionem à nobis factam iurauimus inuolabiliter obseruare. Item cum dignitas Archidiaconalis non consueuerit in Cathedralibus Ecclesijs extra corpus sui Capituli euagari, sed quo quot fuerint dignitates huiusmodi in Ecclesia, debeant eisdem dignitatibus Cathedrales Canonici honorari, nisi sint in Cathedra pro Canonicis Monachi, vel etiam regulares, cum sit absurdum & res pestifera, vt maior debeat subesse minori, vel minor debeat suum iudicare Prælatum, cum CANONICI CATHEDRALES SINT SUPRA PRÆLATOS SVÆ DIOCOESIS VNIVERSOS, sicuti Cardinales sedis Apostolicæ cum Summo Pontifice super Ecclesiam Catholicam vniuersam; statuimus & sancimus præsentī decreto, vt nulla dignitas Archidiaconalis nostræ diocæsis transeat in personam alterius, nisi tantum ad gremium Capituli, & eius ex Canonicis aliquam certam personam. Item cum Præsides castrorum, & custodes turrium pro tempore ordinentur, & iurent, munitiones huiusmodi conseruare, nec assignare alicui, nisi ei, qui Canonicè fuerit constitutus, cum laici nesciant, quid sit Canonicum aut legitimum, & sic detur eisdem occasio malignandi, donec eisdem pecunia magna vel maxima tribuatur; statuimus, vt postquam huiusmodi Præsides mortem intellexerint sui Episcopi, iuramento teneantur Capitulo, si concors fuerit, munitiones huiusmodi ex integro, sine difficultate qualibet assignare, alioquin castra diligentius conseruabunt, donec Capitulum concordetur. Item cum Canonici Ecclesiæ in suis domibus & areis multā libertate & emunitate sint priuilegiati præ alijs ab antiquo, sicut antiqui clerici & ciues plenè nouerunt, & nobis Capitulum supplicarit, vt ipsis huiusmodi libertates iubeamus per Iudicem Ciuitatis & ciues vniuersos ex integro inuolabiliter obseruari, facientes hoc in publicis placitis, quæ placita *Chaffstading* vulgariter appellantur, publicari solemniter, ac etiam proclamari per ipsum Iudicem Ciuitatis; statuimus & sancimus, vt ad hoc quilibet Iudex Ciuitatis firmissimè teneatur: in contemptores nihilominus & rebelles bonorum publicationem & personarum infidationem sententiâ percellentes. Supplicarunt etiam nobis ijdem venerabiles FRATRES NOSTRI, vt cum ipsos pro nostris, vel ipsorum negotiis nobiscum facere morâ conuincat, vel in Diocæsi alibi esse nobiscum; eisdē non in mensa nostra, propter

aduencientes, sed ex opposito in mensâ decenti sessionem exhiberi laudabilem faciamus; quod utique statuentes, per Officiales nostros de cætero volumus obseruari. Et ut nostri memoria, & parentum ac proauorum nostrorum, in eadem Ecclesia habeatur perpetua & solemnitas, ad sustentationem & augmentum præbendarum Canonicoꝝ ipsius Ecclesiæ, Ecclesiam parochialem HOLABRVNNE nobis vacantem, cum omni iure Episcopi & ordinariæ potestatis, seu Archidiaconi aut Decani, quibus qualibet Ecclesia parochialis in iuribus obligatur, largimur, in perpetuum conferimus & donamus, sicut per aliud priuilegium, super hoc conficiendum faciemus omnia melius declarari. In horû omnium præmissorû testimonium præfens priuilegiû sigilli nostri munimine in nomine Domini roboramus. Acta sunt hæc Patauia, Non. Kalend. Iunij, Indictione decimâ, Anno Domini M. CCXCII. Pontificatus nostri Anno secundo.

Nota errorem in Data, seu numero annorum. Obijt Berchtoldus Anno Domini 1254. littere data perhibentur Anno 1292. cogitandum alijs relinquo.

Bbb. *Huius Episcopi Ottonis tempore factum reperitur Decretum seu statutum huius tenoris.*

Meingotus Præpositus, Poppo Decanus, & vniuersitas Capituli Ecclesiæ Patauiens. Omnibus præsentem litteram inspecturis in Domino salutem. In diuersis defectibus, maximè tamen inopiâ nostram considerantes Ecclesiam laborare; & huiusmodi occasione quam plura periclitari negotia consequenter; & ex hoc ipsam CELEBREM & FAMOSAM ECCLESIAM, vigore honestatis consumpto, paulatim tendere ad occasum; sollicitè cogitauimus, qualiter salubri remedio resurgeret à ruinâ, & reformationem primitiui status assequi aliquo qualiter letaretur. Et sic commune negotium communi consilio pertractantes, in hoc iam dudum, hoc est, ante tres annos, conuenimus concorditer, & de consilio Domini nostri O. venerabilis Episcopi Patauen. statuimus in virtute sanctæ obedientiæ, & sub pœna excommunicationis, & iuramento præfinito, à nobis & nostris successoribus firmiter obseruari, ut ad quinquennium cuius anni duo sunt elapsi, & adhuc restant tres, præbendalis stipendij tantum vacantium præbendarum, & vacare incipientium vendentes, hoc adiecto, ut ementibus cum omni integritate omnia præbendæ accessoria, quocunquè censeantur nomine, ubicunquè locorum fuerint, tanquàm vni præfenti Canonicoꝝ, excepto duntaxat canonicæ dignitatis consortio, ministrarentur. Ut autem pro huiusmodi venditione oralloquentium iniqua obstruantur, & nostræ deuotionis prudentia potiùs commendetur Ecclesia, ipsam pecuniam in necessitates negocij Ecclesiæ nostræ in HOLABRVNNE, in reedificationem domorum nostrarum per INCENDIUM CASUALE destructarum, & in alias necessitates Ecclesiæ emergentes cotidie, deputauimus conuertendam. Huius autem venditionis executores Dominum POPPONEM Decanum, WERNHARDVM de MORSFACH, Magistrum HARTVVICVM, canonicos, elegimus, Statuentes, ut quicquid pecuniæ receperint ex venditione prouentuum præbendarû, quæ ex nunc in antea, per trienniû videlicet, fuerint sequestrate, eadem de consilio & conscientia Capituli, per eos in utilitates ad communitatem spectantes, ut superius expressum est, fideliter & prouidè redigantur. Ut autem huiusmodi statutû per tempus præfatû iuxta formâ expressâ debeat obseruari, præfentem paginam conscribi fecimus, & sigillo nostro comuniri, in testimoniu & cautelâ. Huic decreto & statuto approbato, ad confirmationè & securitatè abundantiorè, appendi sigillû Dñi nostri O. venerabilis Patau. Episcopi nihilominus procurantes. Actum Patau.

Patau. in Capitulo, anno Domini M. CC. LXI. VIII. Kal. Martij, Pontificatus Domini nostri O. Patauien. Episcopi anno VIII.

Diploma Henrici Bauariae Ducis, cuius sub Ottone Episcopo D. Hundius mentionem facit.

HAinricus Dei gratia Palatinus comes Rheni, Dux Bauariae, vniuersis hanc Auditoris paginam, vel visuris in perpetuum. In omnem venit notitiam, quam sit laudabiliter ordinata prouiso contra obliuionis & calumniarum discrimina, competenti remedio testium & scripturae gesta principum perenni memoria commendari. Quapropter, tenore praesentium, singulorum notitijs cupimus aperire, quod cum longo hactenus tractu temporis inter Patauien. Ecclesiam ipsiusque pontifices Rectores, ex vna parte, nostrosque progenitores & nos, ex altera, diuersarum durauerit controuersia quaestionum, quae ducta saepe in actus bellicos & discordes, vtriusque partis damna non modica dinoscitur intulisse; inspirante domino, quo iudice ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, nostri gerimus gubernaculum principatus; praesidente quoque ipsi Ecclesiae Domino Ottone, venerabili Episcopo, de communi consilio & consensu Capituli, & ministerialium eiusdem Ecclesiae, nostrorumque amicorum & fidelium consilijs, & inductu praelibatae deliberationis maturae, cum domino Episcopo & Ecclesiam memorata duraturam perpetuo concordiam contraximus, in hunc modum; quod videlicet nos & haeredes nostri, vna cum Luduico fratre nostro germano, si pro eo duxerimus postulandum, a praedicta Ecclesia in feodo teneamus omnia, quae bonae memoriae de Pogen, & de Ortenberg comites, & Palatinus Bauariae, ab eadem Ecclesia feodi titulo possiderunt, quae & nos hactenus, praeterquam in Austria, dinoscimur possedisse. Habebimus insuper eodem titulo commercium inter fluuios Warnach & Regenpurke, a superiori & Siezelpach, & Vtelpach ab inferiori parte distinctam. E conuerso quidem decimas in Gnauturge & Periug ipsi Ecclesiae Patau. restitimus absolutas, ac etiam decimas noualium in Landaue, iure patronatus eiusdem parrochialis Ecclesiae in Greimnoringe siue Landaue nostrae ditioni perpetuo remanente. Rotenberch quoque, cum suis pertinentijs, liberè dimittimus ipsi Ecclesiae Patauien. Et similiter Seebach, eum suis attinentijs; & quicquid iuris in pascuis & sylua Wedern habuit ex antiquo. Obligationem bonorum in Ahalming, Penrling, & Herchvich producens, Marc argent quondam a praedicta Ecclesia nobis factam spontaneè relaxamus. Cedimus etiam iuri nostro castrensi in Obernperge, ac etiam infeodationi alterius duarum domuum in Nouo foro Patauiae sitarum, quae Wengarij siue Holzhamerij nuncupantur. Ad haec, si quam patietur impetitionem dominus Episcopus, aut Ecclesia memorata, ab haeredibus comitis de Ortenberg, pro suis bonis, quae ad nostram possessionem, ex decessu progenitorum suorum, sunt praefate infeodationis titulo deuoluta, de tali impetitione ipsum Episcopum & Ecclesiam absoluemus. Item a bonis, in Helmbrechtskirchen spectantibus, planè cedimus; contra pertinentiarum ipsius detentores cooperaturi dño Episcopo, iustitià mediante. In praedijs quoque ipsius Epi, praeter antiqua iura, iudicium non exercebimus nos, vel nostri: de quibus iuribus si contentio suborta fuerit, ad consilium vtrinque trium virorum terminabitur, adhibita conscientia Vicinorum infra riuulos; quippe Stampach & Marchpach. Et ciuitatis Patauien. iudicio & aduocatià carebimus. Alias vero in bonis capituli Patauien. & Nicolaitarum iudicio & Aduo-

catiâ nostrâ fruemur. Vtraq; sanè moneta, nostra videlicet ac etiam ciuitatis prædictæ, absque impedimento partis alterius, cursum debitum obtinebit. Ceterum tam Episcopus idem, quàm Capitulum, & nos, cassabimus & refutabimus instrumenta qualibet, siue privilegia, obtenta olim ab alterutrâ partium contra alteram, puta, de Lynza & Anaso, & consimilibus, vtrobiq; carebunt ex nunc omni robore firmitatis. De victualibus Domini Episcopi, ac etiam capituli, & Conuentus dominarum Patauiensium in terris & aquis nostris, per Bauariam, nec muta, nec theoloneum requiretur. Et hoc ipsum nobis obseruabitur in omnibus locis Ecclesiæ supradictæ. Demùm si quis ex ministerialibus vtriusq; partis, & alterius familiâ vxorem duxerit, gratum vtrinq; tenebitur, & proles inde nata æqualiter diuidetur, & primogenitus patrem sequatur, ex iure pertinentiæ; vnicus autem hæres communis erit, & proles ex eo gœnita diuidetur. Nec ob alternata huiusmodi coniugia carebunt iure suo proprietatis vel feodi contrahentes, hoc iure seruando de cõtractibus, tam præteritis, quàm futuris. Ad quorum omnium perhennem obseruantiam, iuramentis partium super altare beati Stephani prothomartyris confirmatam, præsentem literam sigillo nostro placuit communiri, cum testibus annotatis, qui sunt; Meingotus Præpositus, Poppo Decanus, Otto Cantor, & cæteri fratres eiusdem capituli. Ex laicis verò, Fridericus Burggrauus de Nürenberg, Albertus de Hals, Hainricus de Rorbach, Otto de Frauenberg, Heinricus de Pheling, Grimaldus de Preysing, Heinricus de Rorr, Wimarus Asinus, Harliebicus de Weniser, Richgerus de Akaim, Hainricus de Harthaim, Otto de Trima, & alij quàm plures. Actum Patauiæ anno incarnat. Domini MCCLXII. Calend. Ianuarij.

Diplomata quæ hic insinuantur, isthæc sunt.

Ecce.

L

OTtocarus Dei gratia Rex Boemorum, Dux Austriæ, Styriæ, Marchio Morauia, vniuersis suis Iudicibus & officialibus per Austriam gratiam suam, & omne bonum. Licet omnium Ecclesiarum profectibus & quieti semper intendere totis viribus teneamur, venerabilis tamen patris, domini Patauien. Episcopi, quem, propter suæ deuotionis merita, quibus nobis ab antiquo gratus exiit, & Ecclesiæ suæ Patauien. ac hominum suorum, iura & libertates, quibus ab aliquibus est sæpius derogatum, volentes firma & illibata in posterum conseruare sub obtentu gratiæ nostræ; vobis vniuersis & singulis damus firmiter in mandatis, vt in bonis & possessionibus ipsius domini Episcopi, quocunq; contentur nomine, nullam præsumentes exercere iudiciariam potestatem. Hijs tamen exceptis casibus, qui damnationem mortis requirunt, in quibus suam iurisdictionem non debet nec poterit exequi, sed ad forum pertinent iudicis temporalis. Præterea cum sui, & nostri homines gaudere merito debeant e quo iure, vestræ similiter vniuersitati præcipiendo districtè cõmittimus, vt ciues ipsius de Mauitarn, de Euerdinge, & quoscunq; alios homines ipsius, per aquas & terras, omni iure & libertate perfrui securè ac liberè permittatis, quo nostri ciues & homines gaudere in huiusmodi cognoscuntur, nec ipsos in aliquo, contra huiusmodi mandati nostri seriem, de cætero impedire, vel artare, super quo turbaremur grauiter, attemptetis, scientes, quòd omnes, qui in præmissis eidem domino Episcopo de se præstiterint vltèrius materiam conquirendi, animaduersione seuerâ taliter puniemus, quòd cæteris in exemplum

*presuma-
tm.*

trans-

transibit, & eos nostri mandati poenitebit fuisse in aliquo transgressores. Datum in Egenburg Anno domini M. C. C. LXVI. idus Martij.

II.

